I De Commentitio Lazari & in Provinciam Appulsu.

II Disquisitio Disquisitionis De Magdalena Massiliensi Advena

III Vindiciæ fidei et pietatis Provinciæ pro Cælitibus illius Tutelaribus restituendis Adversus priores duas Dissertationes Launoy Autore: Honorato Bouche

DE COMMENTITIO LAZARI ET MAXIMINI; MAGDALENÆ ET MARTHÆ IN PROVINCIAM APPVLSV.

DISSERTATIO.

Auctore IOANNE DELAVNOY *Constantiensi Theologo Parisiensi.*

Post Deum Veritas colenda est, quæ sola homines Diis proximos facit. Martinus Bracarensis libro de moribus.



LVTETIÆ PARISIORVM.

M. DC. XLI.



NOBILISSIMIS, CLARISSIMISQVE VIRIS, DECANO, CANONICIS ET CAPITVLO AVGVSTODVNENSI



ÆSITAVIT *animus aliquandiu*, Viri Clarissimi, *num illa vobis de Lazari nostri rebus significarem, quæ studiosa Academici contubernij otia mihi pepererunt. Sed hæsitationem tria vicère, meum in vos obsequium, vestra cum in me beneuolentia, tum in Deum pietas. Exigit obsequium, vt vos de rebus vestris reddam certiores, beneuolentia me de priuata commonitione securum facit, pietas imperat* Chri-

ſtianam in ſcribendo libertatem, immo, & ex ſolo ſuo nomine certam audientiam ſpondet. Res igitur ſic ſe habet. De Lazari noſtri rebus cum illo theologo, cuius nomen in operis fronte videtis, non ſemel communicaui ſciſcitatus, an vera Eccleſiæ traditione fulcirentur, quæ de Lazaro & in noſtris, & in aliorum libris circumferuntur. Renuit ille ſæpius ea ſuper re quid ſentiret aperire, ſed nihil tandem aliud mihi adferens, niſi quod olim in Cleonem dictum monet Suidas; ψευδατεραφάξιος πλέαν ἔιναι τὴν βουλήν. *Atenim cum vrgerem nihil eſſe, quod à me timeret, immo verò eſſe, quod de me optimè mereretur, ingenuè dixit ea omnia ex Eccleſiæ noſtræ libris tollenda videri, quæ de Lazari Epiſcopatu, Martyrio, & Tranſlatione narramus. Verùm illud vix caperent anguſta eorum ingenia, qui non fortè credunt, Lazari gloriam hominum figmentis erigi, ſed qui narrationibus Breuiarij ſui quamlibet fabuloſis incredibiliter delectantur. Neque verò hæc priùs audiui, quàm quæſiuerim ex Doctore, quid ergo certi, quid-ve dubij de Lazaro per veram Eccleſiæ traditionem haberetur? Quærendi cauſam ſuggerebant Concilia duo, Senonenſe, & Tri-*


dentinum, quæ statuerunt, Libros Ecclesiastici Officij purgandos esse ab incertis Historijs, quibus proculdubio nec Ecclesiæ illustrantur, nec fideles ad Christianam pietatem instituuntur, nec Sanctorum auxilium imploratur, nec diuina laudatur maiestas. Itaque Theologum enixè rogaui, vt siquid hac de re accersiti haberet, me illius pro sua humanitate participem faceret. Quod & eò faciliùs consecutus sum, quo ex me sperauit istud ad Dei, & Ecclesiæ nostræ honorem nonnihil profuturum. Dissertationem igitur hanc mihi in manus dedit, quâ vna ex parte vetus de Lazaro traditio retinetur, ex alia reijciuntur, quæ de eodem fabulosa recens inuexit posteritas. Ceterum hoc pii laboris officium non prius mei iuris fuit, quàm & vestri quoque esse volui, vt ex eo siquid ex Ecclesiæ vestræ libris corrigendum est, corrigatur. Scio quidem aliquid habere antiquitatis, quæ de Lazaro libri vestri tradunt, sed ad veram traditionem non sufficiunt, & hac qualicumque antiquitate ampliora sunt iura veritatis, extra quam nec Deus adoratur, nec amicus Christi Lazarus colitur, quin etiam dehonestatur. Veras ex se sibi laudes vindicat Augustodunensis Ecclesia, nec vllo ad sui

cõmendationem hominum eget mendacio: Suâ sine fabulis habet ornamenta, quibus cum multis Galliarum Ecclesiis sanctissimè iuxtà & verissimè certet. Quid referam celeberrimum Symphorianum, Andochium, Thirsum, & Felicem inter primos interioris Galliæ Martyres? Quid Reticium, Siagrium, Leodegarium? Quid plures alios, qui optimis & vitæ & doctrinæ institutis Ecclesiam vestram informarunt? Quæ de tam excellenti argumento dicturus essem, nemo vestrum ignorat. Florent adhuc inter vos; qui manantem ex restitutis olim Menianis eruditionem in se deriuarunt. Panegyrim non scribo, sed Epistolam, Viri Clarissimi, *cuius in asserta veritate vnicus finis est; & meæ in puriorem Dei & Lazari cultum voluntatis significatio, & perpetuum in vos & Ecclesiam, cui tam piè seruitis, obseruantiæ monimentum.*

Ex Nauarra Parisiensi die 3. Octobris, qui B. Dionysij Areopagitæ Martyrio sacer est 1641.

Vobis addictissimus PHILIBERTVS DE MONTAGV August., Baccal. Theol. Concanonicus vester.

IN DIS-



IN DISSERTATIONEM DE COMMENTITIO LAZARI ET MAXIMINI, MAGDALENÆ ET MARTHÆ IN PROVINCIAM APPVLSV.

PRÆFATIVNCVLA LECTORI necessaria.



VAM diſputandi rationem præſtituit Deus apud Hieremiam Prophetam, omninò ſequimur; nequis ſui nimium, rerumque ſuarum a-

ē

mans nos deinceps calumnietur: *Hæc dicit Dominus ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea*. Quod vti commodè fiat, & ad aſſertionem veritatis appoſitè, Diſſertationi geminam tribuemus partem, ſed quæ inſuper tota his quatuor præſcriptionibus, vt ſecernendæ à mendacio veritatis gubernaculis dirigetur. Prima eſt, in rebus, quę ad hiſtoriam, & traditionem pertinent, ijs maximè credendùm, qui quo tempore res ipſę geſtæ ſunt, ſcripſerunt, dum nemo ceteroqui coæuus notę probitatis, & doctrinæ refragetur. Altera, poſt coæuos auctores magis eorum ſcriptis aſſentiendum, qui rerum geſtarum temporibus viciniores, quam qui remotiores fuerunt. Tertia, Apocrypha, & quæ incerti ſunt auctoris, ac potiſſimum recentioris, aduerſus rationem, & receptam maiorum traditionem ponderis nihil habent, ac momenti. Quarta, perſpicua Neotericorum, qui de his quatuor Sanctis hominibus infra annum Chriſti milleſimum ſcripſerunt, cum ab antiquorum omnium conſen-

sione, tum inter sese in plerisque dissensio. Has autem de rebus historicis, & traditioni commissis disserendi leges nullus opinor respuet, qui sit curiosus veritatis explorator, scriptorumque veterum literatè peritus. *Quis*, inquit, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap 4. *inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei praiudicans vitiationem, quod posterius reuincetur. In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum.* Porro verò Dissertationis pars prior constantem inter Græcos, & Latinos exhibebit traditionem, qua Lazarum, Magdalenam & Martham in Oriente vixisse clarum erit, ac tandem deuixisse: vbi & producemus euidentissima, quæ distorqueri, & probatissima, quæ repelli Tertulliani legibus non poterunt. Sed Maximinum non attinget, quem veterum nemo nouit. Posterior friuolas quasdam narrationes in certam intextas perniciem historiæ, & traditionis discindet, & quæ fabulatoribus causa fingendi fuerit in multis, examina-



DISSERTATIONIS
PARS PRIOR
ANNORVM MILLE RATIONARIVM CONTINENS.

A tempore Christi ad annum vsque millesimum à Græcis vniuersim, & Latinis traditum est, Lazarum Magdalenam & Martham in Oriente obiisse: de Maximino Magdalenæ seu Duce, seu Comite, qui primus Aquensium Antistes fuerit, nulla vsquam mentio.

CAP. I.

Propositum Lemma ex Auctoribus Græcis probatur.



NOVAM è veteri rem aggredimur, in qua primus nobis auctor erit Epiphanius, qui receptas maiorum de Lazaro traditiones vindicauit lib. 2. Hæresi 66. quæ est Manichæorum; *Nec est*, inquit, *quod sibi quisquam persuadeat Lazarum subinde esse mortuum. Hoc enim Euangelium aperte*

declarat, accubuisse postea Iesum; & cum eo Lazarum similiter accubuisse. Quin & illud inter traditiones reperimus, triginta tum annos natum fuisse Lazarum, cum à mortuis excitatus est, atque idem ille triginta aliis annis vixit, atque ita mortuus ad Dominum rediit. Qua quæso in orbis parte hãc Lazari mortem contigisse veteres Græcorum traditiones docent? An in Occidente, vbi cum nulla tam vetus de Lazari morte traditio fuerit, inde ad Orientalium traditiones transire non potuit? In Oriente rectè dixeris, cuius traditiones Epiphanius collegit. Primus sanè mortis Lazari, & in tali orbis parte, & in tali vitæ termino nuncius ad Loci traditionem spectat, vbi Lazari sepulchrum, epitaphium, & translationem postea cernemus. Quinetiam Siquis de suo, aut ex inanibus recentiorum scriptis Massiliensem, vel alium Episcopatum, & Martyrium Lazaro affingat, veterum traditiones adulterabit. Siue enim prima ætas, quam habuit Lazarus, cum exanimis ad vitam reuocatus est à Christo, siue secunda, quam rediuiuus egit, consideretur, Episcopatum in Lazaro, & Martyrium qualibet illius

ætate illuſtriora fuiſſe multò, ac notiora quis ambigeret? hæc ſanè duo de mendacio recentiorum prȩiudicantur, cum nec Epiphanius de fortuna Lazari locutus, nec maiorum traditiones ante Epiphanium iſta nouerint.

Secundus Modeſtus Hieroſolymorum Præſul, qui apud Photium codice 275. egregiam habuit ante annos mille [illegible] de vnguentiferis Virginibus orationem: *Hiſtoriæ*, inquit, *tradunt Magdalenam, de qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, hanc Virginem fuiſſe: & Martyrium huius memoratur, vbi dicitur propter ſummam illius virginitatem, & puritatem, illam tanquam vitrum purum tortoribus viſam fuiſſe: poſt obdormitionem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ profecta eſt Epheſum ad dilectum diſcipulum, vbi curſum Apoſtolicum per Martyrium vnguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum vſque ſpiritum ab Ioanne Euangeliſta & Virgine ſeparari.* Siſte gradum lector, & ex his ritè perpenſis, ſic multa tecum ipſe nunc reputa. 1. Quæ in Palæſtina Modeſtum noſtrum anteceſſerunt Hiſtoriæ, Magdalenam E-

phesi vitâ defunctam tradiderunt. 2. Consignatæ monimentis historiæ eò loci fuerunt, in quo & res ipsæ gestæ. 3. Historiarum conditores cum Modestum præcesserint, æquales non potuerunt non esse Magdalenæ, aut certè suppares: ex quo non nisi de industria fallerentur, & alios fallerent. Sed istud sine piaculo quis crederet destitutus patrocinio Antecessorũ? 4. Modestus acceptas à maioribus historias cum & oratione & auctoritate confirmet sua, aliam tunc in Hierosolymitana Ecclesia non fuisse de sua Magdalena traditionem liquet. 5. Hic auctor sexcentis aliis hac in parte eò anteferendus est, quod cum & ei tres Palęstinæ subiicerentur & vir egregiè doctus esset, quinam his in locis Sancti obiissent, quinam colerentur, ignorare vix quiuerit. Non ergo veritate nituntur, qui vexatam à Iudæis Magdalenam conscensa naue in Massiliensem appulisse portum, & inde in Aquense territorium profectam, ibique longo pœnitentiæ squalore confectam excessisse, recenti memoriæ prodide-

runt. Negas tu forſan ? Sed quorſum? Audio verò. Quod domeſticum, & prius ab Hieroſolymorum Chriſtianis traditum, falſum, at quod extraneum & immiſſum poſterius, verum erit?

Tertius Leo Philoſophus, qui factis potius, quàm verbis, optimè tamen noſtram veritatem aſſeruit. Sacras quippe Magdalenæ & Lazari reliquias non Maſſiliâ, vel Aquis Sextiis, vbi pridem iacuiſſent, ſed Epheſo & Citio Conſtantinopolim tranſtulit anno circiter 886. quo imperium Orientis capeſſiuit. De Lazari reliquiis teſtatur ex interpretatione Cardinalis Sirleti Græcorum Menologium, quod licet non ſit admodum vetus, veterum tamen Orientalium fidem, & egregium Imperatoris facinus repręſentat. Adeſdum: 17. Octobris. *Relatio pretioſarum reliquiarum ſancti & iuſti Lazari, quas reliquias celeberrimus & fideliſsimus Imperator Leo diuino Zelo commotus in templo pulcherrimo ſub eius ſancti viri nomine dicato ex vrbe Citienſi Conſtantinopolim tranſlatas in argenteis loculis repoſuit.* Porro de Magdalena nihil habet aliud præter iſta die 22.

Iulij: *Natalis ſanctæ Mariæ Magdalenæ.* De Lazari & Magdalenæ reliquiis teſtatur Zonaras Tom. 3. Annalium in Leone Sexto; *Condidit & aliam ædem ſancti Lazari nomine, in qua ſacrum eius corpus è Cypro tranſlatum nec-non Mariæ Magdalenæ condidit.* Zonaram ſequitur Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum: *Ibidem aliud templum condidit* (Leo) *beato Lazaro ſacrum, in eoque Lazari & Mariæ Magdalenæ reliquias Epheſo allatas repoſuit.* His demum accedit Curopalates in Hiſtoria: *Leo Imperator Templum conſtruxit ſancto Lazaro dedicatum, in quo Sancti allatum corpus repoſuit, atque ſororis ipſius Mariæ Magdalenæ.* Et quamuis hi tres Hiſtorici aliquanto poſt decimum ſæculum floruerint, quia tamen idem ab Leone geſtum narrarunt, eos noſtri ad capitis epocham conſultò reuocauimus.

Quod ſiquis autem poſt Leonis exceſſum Lazari corpus Conſtantinopoli vidiſſet, atque ex eo Lazarum fuiſſe quondam Byzantinum antiſtitem collegiſſet, nonne quæſo ridiculus iuxta, atque ille fuiſſet, qui cum nunc die-

rum alterum Lazari nostri brachium Massiliæ vidisse se profitetur, Lazarum inde Massiliensem fuisse Episcopum conclusit. Itane vero? tantum in tanto viro subtilitatis, qui maculas in sole nuper deprehendere, sed rudi penitus, & pessimum in modum orbiculato specillo tentauit? Verum quod nulli alij hac in re indulgeretur, hoc illi vni indulgendum. Quid enim vt & in plerisque aliis bonus scriptor affirmaret, nesciit: At quæ singula notentur, indigna. Hactenus de Græca & Orientali traditione, in qua nihil omninò est, quod ex præfixo disputationi limite nobis opponatur. Nunc ad Latinam & Occidentalem pergamus.

CAP. II.

Propositum Lemma ex Auctoribus Latinis probatur.

LAtinorum agmen ducet Gregorius Turonensis lib. 1. de Miraculis cap. 30. de Ephesiorum vrbe locutus: *In ea,*

inquit, *vrbe Maria Magdalena quiescit, nullum super se tegmen habens.* Hæc ille, qui tam diligenter Sanctorum Galliæ, & aliarum omnium Nationum miracula copioséque conquisiuit. Age verò siquis tunc de Lazari, Magdalenæ, & aliorum in Prouinciam accessu fuisset vel leuissimus rumor, eumne prætermisisset studiosissimus Historicus, aut rem huic accessui contrariam scriptis commendasset? Hîc ad communes locos confugient fabularum Patroni, & quicquid vsquam peccauit Gregorius, adferent, vt ex iis hoc etiam in loco peccasse censeatur, qui cum primis alioquin Orientalium Ecclesiarum traditionibus consentit, qui quod à maioribus accepit, hoc & posteris reliquit.

Gregorium sequetur Martyrologium Romanum, quod Ado seruauit, & venerabile ac perantiquum appellauit. 22. Iulij *Natalis Beatæ Mariæ Magdalenes.* 17. Decembris. *Lazari, quem Dominus resuscitauit, & Marthæ sororis eius in Bethania.*

Romanum Martyrologium excipiet

Beda

Beda in eo Martyrologio, quod ſub eius nomine vulgatum eſt. 11. Calend. Auguſti, *Natale ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua vt Euangelium refert, dæmonia ſeptem eiecit Dominus, quæ etiam inter alia dona inſignia Chriſtum à mortuis reſurgentem prima videre meruit.* 16. Calend. Ianuarij: *eodem die Beati Lazari, quem Dominus ſuſcitauit à mortuis, & Beatæ Marthæ ſororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Eccleſia non longè à Bethania, vbi è vicino domus eorum fuit, conſeruat.*

Bedam proximè affectatur ſanctus Vuilibaldus Aichtadianus Præſul, qui ad annum 745. loca ſancta inuiſit, & vidit, quæ Gregorius Turonenſis de Magdalenæ ſepulchro recenſuit. Qua de re ſic in Itinerario ſeu Vita ſancti Vuilibaldi apud Henricum Caniſium Tom. 4. part. 2. Antiquarum lectionum: *Tranſitis Choo, Samoque Inſulis tabentes ſalo artus apud Epheſum Aſiæ Inſulam expanunt, vbi poſtquam ad ſepulchrum ſancti Ioannis Euangeliſtæ ebulliens inde manna admirantes lacrymis perfuderunt, poſtquam ſe ſeptem dormientibus, & Mariæ*

Magdalenæ ibidem requiescenti commendauerant, &c. Hæc retulit sanctus Episcopus ei, qui Hodoeporicon illius descripsit. Quis verò tam desperatæ esset diffidentiæ, qui vt prædamnatis 83. Canone Codicis Africani, & lib. 1. Capitularium Capite 42. somniis ignotorum, recentiorumque hominum credat, sancto Præsuli, & oculato testi fidem abrogaret?

Vsuardus Monachus Parisiensis quinquaginta circiter post Vuilibaldum annis Martyrologium confecit, in quod maiorum de Magdalena, Lazaro, & Martha traditionem deriuauit. *22.* Iulij. *sanctæ Mariæ Magdalenæ.* 17. Decembris : *Eodem die Beati Lazari, quem Dominus Iesus in Euangelio legitur resuscitasse à mortuis. Item Beatæ Marthæ sororis Beati Lazari, quorum venerabilem memoriam extructa Ecclesia non longè à Bethania vbi è vicino domus eorum fuit, conseruat.* Molanus in editione Vsuardi à vetustis exemplaribus aberrauit, vbi quæ hîc de Beata Martha dicuntur, ad quartum Calend. Augusti reuocauit. Post Vsuardum locus est Rabano Mo-

guntinensi 11. Calend. Aug. *Natiuitas Mariæ Magdalenæ.* 14. Calend. Februarij. *Hierosolyma natale Marthæ & Mariæ sororum Lazari.*

Rabano coætaneus Ado Viennensis & Prouinciæ citimus multorum instar haberi potest : Illum igitur audiamus in Martyrologio 22. Iulij : *Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ*: & in libello de festiuitatibus Apostolorum. *Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua vt Euangelium refert, septem dæmonia eiecit Dominus, &c.* vt apud Bedã, 17. Decẽbr. *Item B. Lazari, quem Dominus Iesus in Euãgelio legitur resuscitasse à mortuis. Item B. Marthæ sororis eius, quorũ venerabilem memoriã, &c.* vt apud Bedam. An potuit Ado Massiliensium, Aquensium & totius Prouinciæ opinionem, quam modo ingerunt, ignorare ? An non debuit statim reprehendi, quod Lazarum Massiliæ, & Maximinum Aquarum Sextiarum primos non fecerit Episcopos ? In summa quod hodiernas, siquæ tunc fuissent, Prouinciæ, ne dilaberentur, traditiones non iecerit in Codicem Martyrologij ? Dices fortean illud Adonis incuriæ dandũ es-

se, cum inuidiæ tribuere nefas foret. Sed quisquis es, qui hoc fingas, sustine tantisper, dum expenderis præfationem auctoris. *Ne putes*, inquit, *me in hoc opere in vacuum laborasse, rem unam non necessariam executum fuisse, breuiter tibi causam aperiam, primùm fuit imperium ac iussio sanctorum virorum, &c. Deinde collecti vndecumque Passionum codices animum in tantum suscitauerunt, vt non solum prætermissas dierum festiuitates, verum & aliorum, qui per totum annum ibi notatim positi erant, latiùs & paulò apertiùs describerem*: Considera igitur collectos vndecumque Passionum codices nihil continuisse, quod ad Magdalenæ & aliorum in Prouinciam aduentum spectaret. Quidni enim Lazari, Magdalenæ, Marthæ festiuitates paulò latiùs descripsisset? Quidni Magdalenam Aquis Sextiis à Maximino sepultam dixisset? Quis enim vir prudens vbi ex omnibus locis, & gentibus agones Martyrum, & palmas Sanctorum conquisiuit, Suorum, aut Vicinorum triumphos omisit? Nemo caussabitur opinor simplex istud esse abnuentium epicherema, quo primam maiorum traditionem defendimus, & ad-

uersus inanes Recentiorum historias de nouitate præscribimus.

Adonem sequetur] appendix Adonis ad 19. Ianuarij : *Hierosolymis Marthæ & Mariæ sororum Lazari.*

Appendici succēturiabuntur tria manuscripta Martyrologia , vnum sub nomine Hieronymi vetustissimum , alterum Corbeiense, tertium assutum Remensi Sacramentario , in quibus hæc de Beata Martha disertè habentnr : 14. Calend. Februarij : *Hierosolyma, Marthæ & Mariæ sororum Lazari* : seu *Hierosolyma, Maria & Martha sorores Lazari.* De quibus vide si placet eruditíssimas Menardi notas in librum Sacramentorum Gregorij , qui propediem lucis vsura fruetur.

His tribus Martyrologiis adiungimus Notkerum in Martyrologio 14. Calend. Februarij : *Hierosolymis natiuitas Sanctarum Marthæ & Mariæ sororum Lazari.* 11. Calend. Aug. *Natiuitas Sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua vt Euangelistæ referunt, dæmonia septem Dominus eiecit , quæ etiam inter alia dona insignia Christum à mortuis resurgentem prima vide-*

re & Apostolis prædicare promeruit. Quæ verò ratione hic auctor postea decimũ septimum Octobris Marthæ assigneţ, nondum comperi : *Marthæ*, inquit, *Sororis Lazari.* De Lazaro nihil habet.

Notkerum excipiet Menologium Græcorum 22. Iulij : *Natalis Sanctæ Mariæ Magdalenæ* 4. Iunij : *Natalis Sanctarum mulierum Marthæ & Mariæ.*

Epocham concludet Flodoardus Remensis Presbyter, qui ad annum 920. floruit lib. 1. de Triumphis Sanctorum Palæstinæ cap. 27.

Pluribus hæc tellus hinc priscæ legis alumnis,
Inde nouæ rutilat; Christi quos gratia saluat.
Hac quoque Magdalene regione Maria resedet,
Dæmonibus pulsis Iesus quà flaminis almi,
Vt feruenter amet, patet esse capacem.
Cuius ità Christo placuit dilectio pura,
Vt Stygiis illum redeuntem prima videret,
Ex claustris Erebi violenta lege soluta.
Hic prope Bethaniam tibi Lazare Sancte sepulchrum
Vnde quaterno postquam te sole retentat
Hic Domus Ecclesia est tua, sororumque tuarum.

Hoc ex manuſcripto codice ſanctæ Mariæ Laudunenſis, in quibus accurata carminis ratio quærenda non eſt, ſed ſola tantum præcluſio nouitatis. Nunc ediſſerant quæſo nobis, cur in hoc, vel in alio loco, vbi de triumphis Sanctorum agit, qui ſuis certaminibus Gallias exornarunt, nihil de Lazari Epiſcopatu & martyrio, nihil de Lazari, Magdalenæ & Marthæ ad Maſſilienſem portum acceſſu, nihil de enauigatis Syrtibus, nihil de tam ſtupenda nauigatione cecinerit Flodoardus, cum vel ſola hæc aptiſſima ſcribendis verſibus materies videatur? Quin potius Lazarum, Magdalenam & Martham vnius Palæſtinæ Sanctorum numero adſcripſerit, cum ſaltem vtrique genti adſcribere debuiſſet. Fallor ego, neque iſtud de Flodoardo ſciſcitari fas eſt. Non enim fieri potuit, vt qui veros Sanctorum Triumphos caneret, adulterinos peruerſa religione fingeret, aut excogitaret? Ceterum ſecundum iſta, quæ hoc & ſuperiori capite plana fecimus, quò ſe vertet homo in omnes Recentiorũ initiatus fabulas,

qui simulatque quosdam recentissimos, etiam viuos aduersus primam receptamque per tot annos traditionem scriptores laudauit, cum Beato Augustino exclamat eum non esse sapientem, qui negat, quod vniuersa credidit antiquitas. Stultus ergo sit ille, immo & stultissimus, qui de Lazaro, Magdalena, & Martha negat, quod vniuersa credidit antiquitas. Hactenus de Latina & Occidentali traditione in qua talis est omnium consensus, vt nihil extet prorsus, quod in præstituto disputationi termino nobis opponatur.

CAP. III.

Propositum Lemma quibusdam rationibus ex Historia Ecclesiæ quæsitis probatur.

QVanquam nullis opus est rationum momentis, dum res, quæ facti est, & in facto versatur, euidentibus atque idoneis plurimorum auctorum testimoniis conuincitur, mantissæ tamen loco nonnullas subdemus ex Ecclesiæ Histo-

tia rationes ; quæ prætermiſſis ex Oriente & Occidente ſcriptoribus, aſſertionem noſtram ſuaderent.

Prima ratio ducitur ex prima Eccleſiaſticorũ Galliæ Primatuum contentione, quæ in Concilio Taurinenſi agitata eſt, Arcadio & Honorio Imperatoribus. Quicunque igitur accuratiùs apud ſe perpenderit, quanto fuerit incenſa ſtudio controuerſia, quæ inter 2. Narbonenſis Epiſcopos mota eſt de primatu Proculi Maſſilienſis Epiſcopi, qui ſeſe illius Metropolitanum prouinciæ gerebat, vix illi dubium erit, quin ſi vera eſſet Magdalenæ in hanc regionem appulſus hiſtoria, & Lazarus ille, de quo loquimur, Eccleſiæ Maſſilienſis Sacerdotium adminiſtraſſet, id continuò in iuris ſui defenſionẽ attuliſſet Proculus. Quid enim aliud efficacius adferre potuiſſet, aut validius? Supra pleraſque ciuitates Vrbi non deerat maieſtas & ſplendor; cui & primus acceſſiſſet Lazarus Epiſcopus, & antequam Chriſtiana in alias Vrbes penetraſſet religio. Quam quæſo (ſi Arelatenſium codici credimus) rationem retinendæ contra Maſſilienſes

& Viennenses Metropoleos adducebat Arelatensis Episcopus, nisi quia primùm Arelate Trophimus ex Romana Sede destinatus fuerat Episcopus? En præsidium vnicum Arelatensis Episcopi: At Trophimus siue is fuerit, qui non primùm à Gregorio Turonensi, vt quidam mentiuntur, sed à vetustiore Passionis sancti Saturnini scriptore dicitur in Gallias missus sub Decio, siue fuerit, Apostolorum discipulus (quod tanquam verum disputandi causa nunc suppono) neutiquam cum Lazaro comparandus est. Etenim si spectes hominem, nonne Lazarum Christus à mortuis excitauit quarto post obitum die? Nonne Christus apud illum sæpissimè diuersatus est? Nonne Christus cum illo familiariter conuixit? Si vero Euangelicæ prędicationis & ad Prouinciam accessus tempora consideres, nonne Lazarus Trophimum, quicunque tandem iste fuerit, pluribus annis anteuertit: Immo sic anteuertit, vt ex Massiliensibus primos Euãgelii satores longè ante Trophimum habere potuerint Arelatenses? Vide nunc ac circunspice, qui-

bus & quantis prærogatiuis tueri se poterat Proculus. Egone verò existimem Proculū, cui multa ceteroqui concilium Taurinense tribuit, clerum, ordinē, plebem Massiliensem tam imbecilli fuisse iudicij, tam exiguæ prudentiæ, & scientiæ, vt cum de priuilegijs Ecclesiæ suæ, de vera multorum Episcoporum ordinatione, de iure Primatus ageretur, id aut vltro tacuissent, aut turpiter ignorassent, à quo certa propemodum victoriæ causa penderet. Tacuerunt igitur, quod cum veritate dici, & ignorarunt, quod sciri non potuit. Quis enim, quod nihil est, vnquam sciret, aut tandem aliquando scire posset?

Secunda ratio ex aliis in Prouincia rebus gestis depromitur. Si Lazarus, qui tam frequenti hospitio Seruatorem excepit, primus fuit Massiliensium Episcopus, si Magdalena & Martha tot virtutes & miracula in hac Galliarum regione patrarunt, quot referunt Vincentius Bellouacensis, Iacobus Genuensis, Petrus Venetus, & alij id genus commanipulones, si denique vt rem à principio arcessamus, illi omnes in nauem velis ac

remis carentem à Iudæis coniecti, vastissimoque mari certum ad naufragium expositi, saluis tamen omnibus, in Massiliæ portum appulerunt, ac deinde Euangelium prædicarunt, & populos ad Christi fidem conuerterunt; Quî per Deum immortalem fieri potuit, vt primos gentis suæ Apostolos, & tales Apostolos ignorassent, aut cognitos nullo vnquam præconio extulissent Cassianus tot piorum operum scriptor, Saluianus in tot de Prouidentia Dei, & de Ecclesia libris, Victor Massiliensis rhethor in carminibus & epistolis, Eucherius Lugdunensis, Cæsarius Arelatensis multarum de sanctis Homiliarum editores, aliique tractatores, nec pauci Ecclesiarum magistri, qui de illa, vt loquitur Sidonius, *palæstrâ congregationis eremitidis, ac de senatu Lirinensium Cellulanorum* prodierunt? Quæ profectò res cum Cassiano, Saluiano, Victori, Eucherio, Cæsario & aliis nunquam excidisset, Magdalenæ, Lazari, & aliorum è Iudæa in Massiliæ portum enauigationem nunquam contigisse colligendum est.
Tertia ex Gregorio Turonensi, Adone

Viennensi, & Freculpho Lexouiensi comparatur. Gregorius historiarum libro I. Cap. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 35. ex replicatis veterum annalibus Christianæ Religionis initia persequitur in Galliis, primos fidei satores, propagatores, custodes, qui tunc vbique Gallicarũ Prouinciarum noti colerentur ex auctoritate Passionũ, & vitæ merito, exponit. In libris de miraculis Sanctorum, de gloria Martyrum & Confessorum varia ex omnibus Christiani orbis partibus miracula, agones, victorias, Triumphos recenset, de Victore Massiliensi, de Metria Aquensi, de Genesio Arelatensi, déque aliis sanctissimis Prouinciæ hominibus gnauiter abundéque scribit, & altissimum tamen de Lazaro Massiliensi, de Magdalena, de Maximino Aquensi, de Martha silentium. Nondum profectò natus erat, qui nauem & onus eius fabricaretur. Quid enim? Christiani Aquenses illustrium hominum Maximini & Magdalenę gesta neglexîssent, qui beati Metriæ aliàs conditione serui historiam tam diligenter scripserunt apud

Gregorium lib. de gloria Confessorum Cap. 71? Cur Franco Aquensium Episcopus vt Metriæ, ita & Maximini ac Magdalenæ virtutibus & reliquiis Ecclesiæ suæ hæreditatem tutatus non est coram Sigeberto Rege? Cur postea, cum voti compos haud factus est, vt Metriam, sic & Maximinum & Magdalenam in vltionem iniuriæ non aduocauit? In summa Franco Metriam aduocauit, cuius & reliquias & sepulchrum habuit: Maximinum & Magdalenam non aduocauit, quorum nec reliquias nec sepulchra habuit.

Adhæc Gregorius lib. 2. Cap. 27. 29. & sequentibus res ab Clodouco tam impiè quam piè gestas memorat, & comparatum aduersus Burgundiæ Regem in Prouincia bellum describit, nec vllius meminit immunitatis, quam exædificato Monialium à Martha Monasterio Clodoueum concessisse fabulantur in ea regione, quæ, vt ait idem Gregorius, ad Burgundiæ Regem tunc pertinebat. Porro quæ de his & aliis similibus negotiis apud Gregorium non inueniuntur, contempsit ille potius, quam

non vidit. Gregorio succedunt Ado & Freculphus, qui in suis Chronicis cum primas Ecclesiarum Galliæ origines identidem significarunt, de tota Magdalenæ & Marthæ historia, & nauigatione ex veterum monimentis nihil quicquam adnotarunt. Abnutiuum quidem hoc argumentum nullius esse ponderis tibi facilè concedam, si quod Gregorius, Ado, & Freculphus tacuerunt, ab antiquioribus, ęqualibus, vel supparibus dictum ostendas.

Quarta ex propagatæ Fidei Christianæ statu & conditione colligitur. Qui res Christianæ Fidei, vt par est, nouerunt, fieri vix potuisse arbitrabuntur, vt quo tēpore Claudius & Nero Romanum regebant Imperium, Massiliensis, & Aquensis populus Christianam fidem, & religionem sine vllo Martyrio suscepisset. Aut sanè adferant nobis aliquam Latini orbis partem, quæ æquè ac Prouincia Romanis vicina fuerit, in qua tūc sine vllo Martyrio sic suscepta sit Christi Religio? Excutiant verò veteres Ecclesiarum tabulas, Martyrologia, Calendaria, & tunc Massiliæ vel vnum Mar-

tyrem designent ante Victorem, qui sub Diocletiano passus est. Quare insciciam miror & stuporem eorum, qui acta Magdalenæ & Marthæ cum fingerent, aliquos in iis Martyres ex tanta Christianorum copia non fecerint, quantam tunc fuisse volunt.

Quinta sumitur ex Odone Cluniacensi, qui ad annum 930. vixit. Poetarum & tractatorum nemo nescit, quin quę de Magdalenæ è Iudęa in Prouinciam appulsu, & de naue, qua ferebatur, velis ac remis carente, de secessu in eremum, de peracta in prętupto monte pœnitentia, de admirabili morte, & sepultura in illius gestis dicuntur, amplissimum scribendi sit stricta, vel soluta oratione argumentum. Itaque cum Odo in sermone, quam de Magdalena habuit, & in Hymno, quem de eadem confecit, & quem Romani censores sub Clemente octauo reformarunt, nihil de tot tantisque rebus significet, hæc omnia ad hoc vsque tempus ignota fuisse, non immeritò quis conijciet. Aderint forsan, qui quicquid fieri more Scholæ non repugnat,

id

id statim posthabitis rerum, personarum, locorum, temporum circunstantiis factum fuisse diuinabunt; vel qui ex suorum communium locorum penu proferent, multa posterioribus seculis aperiri, quæ prioribus fuerunt occultata: Quid tum verò? Quisquis ille fuerit, qui sic sibi in rebus historicis disserendum putat, meminerit quæso illius regulæ, quam in discernendis historiæ rebus Baronius præfixit Annali primo Cap. 12. *Quod à recentiore Auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Ad hanc regulam tanquam ad certum pugnæ scamma decertandum est, & qui pedem extrà mouerit, fugæ reus, & asserendæ falsitatis auctor habeatur necesse est.

CAP. IV.

Necessariæ quædam in priorem Dissertationis partem obseruationes.

OPeræpretium est modo, vt ex iis, quæ in priori Dissertationis

parte paulò explicatiùs differuimus, nonnulla ſtrictim obſeruemus, vt adſit in promptu, vnde præcipua quæque totius rei momenta ſtatim in conſpectum veniant, & nouæ Recentiorum cogitationes repellantur.

Prima obſeruatio: Ex prima cõſtantique per annos mille traditione habetur, Lazarũ, quem Dominus à mortuis excitarat, & Magdalenam in Oriẽte obiiſſe. Quare qui nuper ex Gallicana traditione contrarium ſcripſerunt, aut veram traditionis notionem ignorant, aut alios ignorare putant: In vno cum Gallicanæ Eccleſiæ falſum affingant, iniuriam non mediocrem illi faciunt, & ſuis inſuper ſcriptis fidem & auctoritatem detrahunt: In altero de aliorum eruditione ſine iuſta cauſa paulò abiectiùs opinantur. Vt interim omittam Sigebertum, Martinum Polonum, Romanum Martyrologium, quibus quod volunt, audacter imponunt.

Altera: Qui Lazarum in Oriente defunctum, & eius reliquias ab vna vrbe in aliam tranſlatas, & templa eidem erecta hiſtoriæ commendarunt, nullius il-

lum ſeu in Gallia, ſeu in Inſula Cypro Eccleſiæ præſulem fecerunt. Ergo qui poſtea Epiſcopum fecerunt, & Martyrem, ex ſuo, non ex commentariis veterum fecerunt, ſine quibus hac in parte ſapere, hiſtorici ſapientis non eſt, nec Chriſtiani ſcriptoris, qui ſupra ceteros mortales à mendacio abhorrere debet.

Tertia: Noſtra de rebus iſtis traditio vſque adeo conſtans eſt & vera, vt ex Auctoribus Gręcis vel Latinis, qui in prima Diſſertationis Epocha vixerint, nihil penitus obiici queat. Itaque Martyrologus Gallicanus liberandę fidei voto adæque ſolutus eſt, quo Apodicticos pro Lazaro & Magdalena Maſſiliæ, pro Maximino Aquarum Sextiarum, & pro Martha Taraſci Commentarios pollicitus eſt. Quod enim polliceretur, an effici liberum eſſet, tunc non ſatis cogitatè perpendit.

Quarta: Martha perinde ac Magdalena exceſſit in Oriente, tametſi extra Martyrologia, Marthæ in hac mundi parte exceſſus, non tam diſertis veterum teſtimonijs confirmetur. Sed hoc nihil, aut parum refert. Etenim qui

mortuam in Gallia Narbonensi Martham memoriæ produnt, non alia id probant ratione, quàm quod Martha & Magdalena vnam & eandem conscenderint nauem, atque inde in Massiliæ portum ambæ penetrarint. At cum istud in Magdalena fabulosum sit, in Martha verum esse non potest. Enimuerò quæ de Lazaro, Maximino, Magdalena & Martha, deque eorum è Iudæa in Prouinciam enauigatione circunferuntur, sic à suis auctoribus eadem narratione connectuntur inter se, vt vno labefactato cetera propemodum omnia concidant, oportet.

Quinta. Adiuncta veterum monimentis Martyrologia nostram licet idoneè probent assertionem, si quæ ad Martham spectant, consideres, illa tamen eo potissimùm fine retulimus, vt quæ in posteriori Dissertationis parte Recentiorum Martyrologijs succreuisse deprehendentur, ea tanquam noua, & ab antiquiori traditione dissona faciliùs expungantur, & in tenebras ignorantiæ, vnde eruta sunt, retrudantur.

Sexta. Nullum Græcorum Menolo-

gium, nullum Latinorum Martyrologium, nullus siue ex Oriente, siue ex Occidente scriptor, qui ad præstitutum tempus nostrum pertineat, de vllo meminit Maximino, qui ex Christi discipulo factus fuerit primus Aquensium Antistes. Qua etiam de re nulla nobis potest esse cum quoquam disceptatio. Qui enim Maximinum Magdalenæ ducem, seu comitem Aquensium episcopum fuisse volunt, non ex alijs id conficiunt auctoribus, nisi qui quingentis abhinc circiter annis vixerint, & otiosorum hominum somnia in suos commentarios redegerint: quod alibi commodiùs expendetur.

Septima: Volaticis responsionibus, & communibus locis, quibus vt albo lapide, albâ-ve lineâ eludi solent auctores, & deductæ ex ijs rationum complexiones, interclusa via est, certandi definitum stadium, & suum insuper abnutiuis in re historica momentis assertum robur, quæ ex multiplici ad Ecclesiasticam historiam animaduersione deduximus.

Octaua: Hanc priorem Dissertatio-

nis partem ad principes, quæ in præfatiuncula ſtatutæ ſunt, inueniendi, aſſerendique veri regulas ſic exegimus, vt cum Tertulliano nunc dicere iure poſſimus contra Recentiores fabularum Fautores : *Poſterior noſtra res non eſt, immò omnibus prior eſt. Hoc erit teſtimonium veritatis, vbique occupantis principatum: ab Apoſtolis vtique* (dicamus ab auctoribus in primam traditionem inſtitutis) *non damnatur, immò defenditur, hoc erit indicium proprietatis.*

DISSERTATIONIS
PARS POSTERIOR
DC. ANN. RATIONARIVM
COMPLECTENS:

Vetus Martyrologiorum traditio conseruatur, & à nouitijs traditionibus defenditur. De Maximino quid certi sit, differitur. Lazari in Cypro, & in Gallia episcopatus, & martyrium discutitur. Fabularum monstra de Magdalena & Martha prodeunt in lucem, & extinguuntur. Exorta Vizeliaci Monachos inter, & Aquenses, ac Prædicatores sancti Maximini refertur controuersi dirimitur. Reiectis vbique figmentis pristina constabilitur traditio, & veritas.

CAP. I.

Vetus Martyrologiorum de Lazaro, Magdalena, & Martha retinetur, & asseritur traditio.



VAM hoc in capite disputationem instituimus, ad Latinos spectat, non ad græcos, quorum nemo, quod sciamus, à maiorum suorum traditio-

ne deflexit. Deinde licet post Zonaram, Cedrenum, & Curopalatam, qui ad vndecimum sæculum reliquias Lazari, & Magdalenæ à Leone Sexto Constantinopolim translatas scripserunt, aliquis alius ab illis, vel etiam antiquioribus defecisset ad recentiores Latinos, id sibi potius incommodaret, quam assertæ iam veritati. Etenim qui suam opinionem munit rationibus, quæ palam sunt inualidæ, profectò seipsum prodit hallucinatum fuisse, atque, vt ita opinaretur, fallacibus momentis inductum.

Itaque Græcorum fidem concludant Menæa magna, quæ anno 1627. Græcè tantùm Venetijs prodierunt: Ex mense Octobri. τῇ ἡμέρᾳ ιζ. ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ τιμίου λειψάνου τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Λαζάρου. Ὁ μακάριος καὶ ἀοίδιμος καὶ ἐν βασιλεῦσι πιστότατος Λέων, ζήλῳ θείῳ κινηθεὶς, ὥσπερ ἔκπυρος ἐπιπνοίας, πρῶτον μὲν ναὸν δειμάμενος κάλλιστον Δικαίῳ, καὶ μετὰ ταῦτα ἀποστείλας ἐν τῇ νήσῳ Κύπρου, εὗρε τὸ ἅγιον ἐκείνου λείψανον ἐν τῇ Κυπαίων πόλει, ὑπὸ γῆν κείμενον, χιλιοστοῦ τάχα παρῳχηκότος χρόνου, ἐν μαρμαρίνῳ λάρνακι,

ἐν ᾗ ἐγκόλαπ]ο γράμματα ἐπερόγλωσσα. Λάζαρος ὁ τετραήμερος, καὶ φίλος χριστοῦ, αὐτίκα οὖν ἀράμενος τ͂ τίμιον θήσαυρον, καὶ ἀργυρᾷ σορῷ ἐνθέμενος, ἐν Κωνσταντινοπόλει ἀπέθετο. *Die 17. Translatio pretiosarum reliquiarum sancti & iusti Lazari. Felix & celeberimus, ac Regum fidelissimus Leo diuino motus zelo, & quasi quodam perculsus afflatu primùm quidem templum Iusto ædificauit; Deinde facta in Insulam Cyprum expeditione, inuenit sanctum illius corpus in vrbe Cytiensi, mille abhinc annis sub terra conditum in marmorea capsa, vbi alterius linguæ literis incisum erat: Lazarus quatriduanus, & amicus Christi. Statim sublatum inde magni pretij thesaurum, & argenteis loculis impositum Constantinopoli reposuit.* Ex mense Iulio: τῇ ἡμέρᾳ κβ. Τῆς ἁγίας μυροφόρου, καὶ ἰσαποστόλου Μαρίας τ͂ Μαγδαλήνης. Κάτω. Μετὰ τὴν ἁγίαν ἀνάληψιν γενομένη εἰς Ἔφεσον πρὸς τ͂ Ἰωάννην τὸν Θεολόγον, καὶ Ἀπόστολον ἐκεῖ ὁσίως κεκοίμηται, καὶ ἐτέθη πρὸς τῇ εἰσόδῳ σπηλαίου, ἐν ᾧ ἅγιοι καὶ μακάριοι ἑπ]ὰ κεκοίμηνται παῖδες. Ὕστερον δὲ ἐπὶ Λέοντος τ͂ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου βασιλέως ἡμῶν τὸ ταύτης ἀνακομισθὲν λείψανον ἐν τῇ ὑπ αὐτοῦ συσ-

τάσῃ* μονῇ τοῦ ἁγίου Λαζάρου κατετέθη, ἐν ᾗ ἐπισίως καὶ ἡ σύναξις αὐτῆς τελεῖται. *Die 22. sanctæ vnguentiferæ & æqualis Apostolorum Mariæ Magdalenæ. Infra. Post sanctam Assumptionem dum Ephesi versaretur, cum Sancto Ioanne Theologo, & Apostolo ibi sanctè mortua est, & apposita in ingressu spelæi, in quo sancti & beati septem pueri quiescunt. Postea verò cum Leo in Oriente feliciter imperaret, translatum illius corpus Lazaro adiunxit & in eodem templo collocauit, vbi & singulis annis festiuitas illius celebratur.*

Hactenus ex Menæis, in quibus nisi translationis tempus ab aliqua periodo, quæ Christum antecedat, numeretur, accurata licetnon reperiatur annorum ratio, in ceteris tamen, quæ præcipua sunt, cum veteri traditione penitus consentit. Nunc verò qua fuligine dealbaturi sunt ista, qui mortuos nudiustertius homines, Diagum, Seuertium, immo & viuos, & Cathedrarios Prouincię declamatores obiiciunt? Et post tam excellentem disputandi rationem, Sulpitij de primis galliæ martyribus testimonium reiiciunt,

quia ſcripſit, quæ non accepit, quæ non vidit, Aurelio, ſcilicet Imperatore ducentis annis poſterior. Apage mihi qui ceteris tractandi leges imponunt, quas non ſequuntur.
Hîc videāt, ſi quid tamē videre poſſint, Epheſinum Magdalenę ſpecum, quem non ita pridem conuerterunt in illud ſaxoſi montis antrum, quod ab hominibus minimè malis oſtenditur in Prouincia: Non ita pridem conuerterunt inquam, cum beati Ludouici tempore res adhuc erat ſub fama: *Rex*, ait Ionuillęus. cap. 80. Chronici, *viſitatum ijt locum nomine Baumam, vbi (vt dicębatur) tanquam in eremo multos annos traduxerat Magdalena*: ſed hac de re aliàs.

Quod autem pertinet ad Latinos, in quorum eccleſijs vetus traditio cuſtodita eſt, infinitum eſſet, ſi vellemus ire per ſingulas. Illuſtriores attingemus, nec illuſtrius erit teſtimonium, quàm ex Martyrologijs depromptum.
Primum Martyrologium ſit illud manuſcriptum, quod ante aliquot annos in Bibliotheca Vaticana legimus: 11. Calend. Auguſti: *Natiuitas ſanctæ Mariæ Magda-*

lenæ, de qua, vt Euangelium refert, septem dæmonia Dominus eiecit, quæ etiam inter alia dona insignia Christum à mortuis resurgentem prima videre meruit. 16. Calend. Nouembris. *Marthæ Sororis Lazari.* 16. Calend. Ianuarij. *Natiuitas beati Lazari, quem Dominus resuscitauit à mortuis, item beatæ Marthæ sororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Ecclesia non longè a Bethania, vbi è vicino domus eorum fuit, conseruat.* Cur in hoc Martyrologio duo diuersi dies Marthę consecrentur, mihi adhuc inexploratum est.

Secundum sancti Stephani Autisiodorensis Martyrologium manuscriptum, quod extat Lutetiæ in Bibliotheca Thuana: 11. Calend. Augusti: *Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua, vt Euangelium refert, septem dæmonia Dominus eiecit*, 16. Calend. Ianuarij: *Item eodem die beati Lazari quem Dominus Iesus in Euangelio legitur resuscitasse à mortuis. Item beatæ Marthæ sororis eius.*

Tertium Martyrologium manuscriptum, cuius fragmentum videre est Rotomagi in Bibliotheca v. cl. Ioannis Bigotij Curiæ Subsidiorum decani: 14.

Calend. Februarij : *Hierosolymis Mariæ & Marthæ sororum Lazari.* Ecce tibi locus, vbi ex vſu Martyrologiorum mortem oppetiit Martha.

Quartum Martyrologium, quod exaratum eſt anno 1254. in Breuiario Ordinis Fratrum Prædicatorum, & extat Lutetię in eorundem Bibliotheca: 11. Calend. Auguſti : *eodem die ſanctæ Mariæ Magdalenæ.* 16. Calend. Ianuarii : *eodem die beati Lazari, quem Dominus Ieſus in Euangelio legitur reſuſcitaſſe à mortuis. Item beatæ Marthæ ſororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Eccleſia non longè à Bethania, vbi è vicino domus eorum fuit, conſeruat.*

Quintum Martyrologium manuſcriptum Eccleſię Pariſienſis, ſancti Victoris, ſancti Martinj de Campis, & ſancti Sepulchri in ciuitate Pariſienſi : 11. Calend. Auguſti : *eodem die ſanctæ Mariæ Magdalenæ* : 16. Calend. Ianuarij : *eodem die beati Lazari, quem Dominus Ieſus in Euangelio legitur reſuſcitaſſe à mortuis. Item beatæ Marthæ ſororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Eccleſia non longè à Bethania, vbi è vicino do-*

mus eorum fuit, conseruat. Idem prorsus habetur in Martyrologio, quod ad Parisiensis Diœcesis vsum edidit anno 1490. Ioannes Muneratus Theologus Parisiensis.

Sextum Martyrologium manuscriptum S. Stephani Trecensis. 17. Decemb. *Natalis sancti Lazari, quem Dominus Iesus Euangelio legitur resuscitasse à mortuis. Item natalis Sanctæ Marthæ sororis.*

Septimum Martyrologium manuscriptum. Ecclesiæ Ambianensis & sancti Martinj Turonensis: 11. Galend. Augusti: *eodem die sanctæ Mariæ Magdalenæ.* 16. Calend. Ianuarij: *eodem die beati Lazari, quem Dominus Iesus in Euangelio legitur resuscitasse à mortuis. Item beatæ Marthæ sororis eius; quorum venerabilem memoriam*, &c. vt supra. Hæc pauca de multis Martyrologiis, quæ hac in re paria videri possunt.

Octauum Martyrologium illud sit; quod ad vsum Ecclesiæ Romanæ Patauii edidit ante annum 1500. Mellinus Eremitarum sancti Augustini Theologus: 11. Calend. Augusti: *Natale sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua septem dæ-*

monia

monia Dominus eiecit, & quæ ipsum Saluatorem primùm videre meruit à mortuis resurgentem. 4. Calend. Augusti : *eodem die festum sanctæ Marthæ Virginis sororis sanctæ Mariæ Magdalenæ, & sancti Lazari, hospitæ Saluatoris nostri Iesu Christi.* 16. Calend. Ianuarij : *eodem die beati Lazari, quem Dominus in Euangelio legitur suscitasse à mortuis.* Adhæc idem vel aliud exemplar ad morem Ecclesiæ Romanæ ann. 1522. & 1548. Venetijs prodijt, in quo hæc omnia ad verbum retinentur.

Denique Ioannes Stoffeler Tubingensis Mathematicus in Calendario, quod edidit anno 1518. & Romanum vocauit, Marthæ tribuit diem 17. Octobris : *Marthæ Hospitæ Christi* :

Videamus modò, qui nouitias traditiones efflictim depereunt, Latinæ Ecclesiæ Martyrologia quam magni ęstiment? Hęc omnia, inquiunt, & quę in priori Dissertationis parte attulimus Martyrologia, sunt ferè vnius loco, at vnius vocem, nullius esse vocem quis nescit? Argutè prorsus. Ruat igitur omnis prisca & vera traditio necesse est, ex quo vel vnicâ inconcussam sta-

re machinâ & fulcimento hactenus creditum est. Qui Petrum Romæ mortuum singulis ętatibus & diuersis locis tradiderunt, id vnum tradiderunt post primum idoneum testem, qui hoc ipsum posteritati certò commendauit. Sed cominus accedo: Qua ratione Martyrologium, quod Vsuardus ex alijs Superiorum Patrum, vt loquitur, Martyrologijs aliquid demendo, vel addendo collegit, suum tunc ille fecit, & fecisse censetur: eâdem proculdubio & Romana, & Parisiensis, & quęuis priuata Ecclesia suum quoque fecit, & fecisse censenda est Martyrologium, quod aut solo suo vsu probauit, aut quod adiiciendo nonnihil, vel immutando, vel detrahendo ad proprium morem redegit. Itaque sicut cum Vsuardi Martyrologium & dicimus & laudamus, de aliis Martyrologijs, quę secutus est Vsuardus, non cogitamus, sic cum Romanæ, Parisiensis, vel alterius Ecclesiæ Martyrologium dicimus & citamus, nihil est, cur ea Martyrologia, quibuscum alioqui conuenit, nominatim intelligamus. Cum igitur

diuersarum Ecclesiarum Martyrologia in eadem re inter se, & cum eo, quod ab initio traditum est, consentiunt, vt modo consentire volumus, nullus opinor inficias ibit, quin eruta ex illis ratio inuictum robur habeat, & firmamentum.

Hæc cum ita sint, tria nunc occurrunt, quę non sine causa obseruemus: Vnum, quod nostra Martyrologia veterem traditionem aptissimè retineant, & cum in Magdalena & Lazaro locum mortis non significent, nullo negotio flectuntur eam in partem, quę a Modesto, Gregorio, & aliis speciatim expressa est. Alterum, quod dies Marthæ non perinde status sit, atque Magdalenę. In paucis ijsque recenter editis notatur 29. Iulij, in quibusdem 17. Octobris. in multis 19. Ianuarij & 17. Decembris. Sed cum hoc discrimine, quod 19. Ianuarij ex consuetudine Martyrologiorum locus mortis designetur, non item 17. Decembris. Hęc dierum varietas in diuersis Ecclesijs solam, ni fallor, recitandi Officij respicit opportunitatem, non diem obitus, aut locum

qui, vt vidimus, Hierosolymis perspicuè definitur. Quę eâ de re tacent martyrologia ad illa, quę loquuntur, reuocanda sunt, & ex illorum ore mutis vox inspiranda est. Tertium, quod in illis omnibus, quę recensuimus, Martyrologijs, nullus vsquam compareat Maximinus, qui primus Aquensium antistes dicatur: quo autem tempore cœpit in Romano comparere posteà dicemus.

Cap. II.

Additionibus ad Romanum, & alia quædam Martyrologia, sensum & priscam tradionem mutantibus certum tempus assignatur.

E Tribus, quę in hac posteriori Dissertationis parte de Maximino considerandà sunt, vnum ad finem superioris capitis iam obseruauimus. Reliquum est modo, vt de aliis duobus disseramus. Ad primum quod attinet, certum est, ante annum 1576. omni

retrò memoria in Romanis Martyrologiis incognitum fuisse Maximinum, qui in subdititiis Magdalenę & Marthæ gestis Aquensium Episcopus appellatur. Sed hocce anno iam tùm primùm Martyrologium illud Romanum, quod Gallesinius edidit, Maximinus occupauit ad 10. Iunij : *in vrbe Aquensi sancti Maximini Episcopi , qui fuit vnus ex 72. Discipulis.* Secundum autem summa obseruatione dignum istud est, quod in Aquensis Ecclesiæ Litaniis, quæ in libro eiusdem Ordinario editæ sunt Aquis anno 1577. nullus omninò legatur MAXIMINUS. An verò temerè factum , vt his in precibus Dionysius Parisiensis cum sociis, & Victor Massiliensis cum sociis inuocarentur , non Maximinus , si olim creditus fuisset Aquensis Ecclesiæ Episcopus, iúdicent viri egregiè cordati. Quis enim Ecclesiam vidit vllam, quæ primum Episcopum , si pro sancto habeatur , non inuocarit in Litaniis suis? Cur autem id ita contigerit in Ecclesia Aquensi, ratio in promptu , eaque meo quidem iudicio certa est: Aquensium Litania-

rum ordo ille antè compositus primùm, deinde prælo mandatus est, quàm vllus nasceretur interpolator erroris.

Cum igitur Galesinius MAXIMINUM inseruit MARTYROLOGIO, non id quidem addidit, quod veterem Martyrologiorum traditionem, & sensum propriè mutaret, sed quod veterum Martyrologiorum, & propagatæ ab initio per annos mille traditionis præsidio destitueretur. In omnibus istis historicè loquimur.

Ad diem 17. Decembris hæc duo in Lazaro adiunxit Martyrologio, quæ cum explorata iam traditione non consentiunt, Episcopatum, & locum Episcopatus: *Massiliæ*, inquit, *in Galliis sancti Lazari Episcopi huius Ecclesiæ.* Qui anno 1548. Massiliensis Episcopus nondum erat in Romano Martyrologio, post annos 20. factus est in eodem per Galesinium Massiliensis Episcopus.

Quæ ad Magdalenam & Martham spectant, ea prout edita fuerant in præcedenti editione sic reliquit immutata: 22. Iulij: *Natale sanctæ Mariæ Magdalenæ de qua Dominus septem dæmonia eie-*

cit, *&c.* vt ſupra. 29. Iulij: *Sanctæ Marthæ Virginis ſororis ſanctæ Mariæ Magdalenæ &c.* vt ſupra. Hæc de Romano Martyrologio Galeſinii: Nunc ad illud, quod Baronius commentariis illuſtrauit, veniamus. In eo ſic ſe res habet.

8. Iunij: *Aquis in Gallia ſancti Maximini primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, quem Domini diſcipulum fuiſſe tradunt.* 22. Iulij: *Apud Maſſiliam natalis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, &c.* vt ſupra: 29. Iulij *Taraſci in Gallia Narbonenſi ſanctæ Marthæ Virginis, &c.* vt ſupra. 17. Decembris: *Maſſiliæ in Gallia Beati Lazari Epiſcopi, quem Dominus in Euangelio ſuſcitaſſe à mortuis legitur.* Hocce Martyrologium, & illud, quod emiſit Galeſinius anno 1576. in duobus diſſident inter ſe, primùm, quia in priori Romano Magdalena & Martha nondum habent ſedem in Gallia; in poſteriori verò habent Magdalena Maſſiliæ, Martha Taraſci: Deinde quia in poſteriori an Maximinus Chriſti fuerit diſcipulus, in dubium vertitur, quod in priori habetur exploratum. Nunc ex hac ſola diſcrepantia manife-

ſtum eſt errare eos oportere, qui ab antiquis & primis traditionibus recedunt. Neque verò vt iſta Baronius confirmet in notis, ea producit, quæ quingentos annos ſuperent. Quod autem ad 17. Decembris pro Lazaro Maſſiliæ Epiſcopo laudet Bedam, Vſuardum & Adonem, pace tanti viri dixerim, Maſſilienſis Epiſcopatus Lazari tam apud illos tres Martyrologos reperitur, quam apud Virgilium. Reliqua, quæ citat Baronius proximis capitibus ex ſola recenſione ſubruentur. Sed in antecesſum de ſua regula monitum velim Baronium: *Quod à recentiore auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* At quę Baronius omnia ſignificat in notis, non ſolum à recentioribus auctoribus ſine alicuius vetuſtioris auctoritate proferuntur, ſed contra exploratam inter Græcos & Latinos traditionem proferuntur.

Tertium Martyrologium, quod aduerſam hiſtoriæ, & veræ traditioni additionem recepit, Franciſcanus quidam edidit, & recognouit Rotomagi anno

anno 1507. vbi sic legitur 11. Calend. Augusti : *Conuersio sanctæ Mariæ Magdalenæ beatorum Lazari & Marthæ sororis. De qua* &c. vt supra. At enim corrector iste natalem Magdalenę in conuersionem mutat, & Magdalenā peccatricē facit, contra quam cetera Martyrologia fecerant. 4. Calend. Augusti : *Transitus beatissimæ Marthæ Virginis sororis Lazari, & Mariæ Christi & Apostolorum eius hospitæ, in cuius funeribus legitur Dominus Deus noster Iesus Christus cum beato Frontone Petragoricensi Episcopo adfuisse, & eius exequias celebrasse.* Hæc bonus ille vir Martyrologio addidit ex furtiuis Magdalenæ & Marthæ gestis; quæ refert Vincentius, & quæ laudat Baronius. 16. Calend. Ianuarij *eodem die beati Lazari, quem Dominus Iesus in Euangelio legitur suscitasse à mortuis. Item beatæ Marthæ sororis eius; quorum venerabilem memoriam extructa Ecclesia non longè à Bethania, vbi è vicino domus eorum fuit, conseruat.* Hic vt apparet priscam incautus retinet traditionem, quę cum superioribus additamentis nihil, aut parum concordat. De Maximino ne vllum quidem verbum.

Quartum Martyrologium, quod anno 1568. edidit Maurolycus Messanensis abbas, has omnes admisit, auxitq; nouitates : 10. Iunij : *Maßiliæ in Gallia Maximini Aquensis Episcopi, qui cum Maria Magdalena, Lazaro, Martha & Chelidonio illuc Deo duce appulerunt, & iuxta corpus Mariæ sepultus est, vbi etiam postea Marcella & Chelidonij corpora inuenta sunt, & honestius tumulata.* 22. Iulii : *Natalis beatæ Mariæ Magdalenæ, de qua* &c. vt supra. 29. Iulii : *Festum sanctæ Marthæ Virginis sororis sanctæ Mariæ Magdalenæ & sancti Lazari, Hospitæ Saluatoris, quæ iuxta Rhodanum & Auenionem vrbem obijt. Marcellæ vero Marthæ pedissequæ, quæ decem annis superuixit, & in Illyria prædicauit.* 17. Decembris. *Maßiliæ beati Lazari, quem Dominus suscitauit à mortuis. Item Marthæ sororis eius* : Hîc quid aliud à Siculo præter siculas gerras expectaretur? Porro hæc omnia à Vincentio, Iacobo & Petro deprompta sunt. Quod Marcellam in Illyrico Euangelium prędicasse probet, ex hoc vno quantum sit Maurolyci iudicium, & quanta in Ecclesiæ disciplina eruditio, consideres

velim. Et licet in Illyrico per tot annos Euangelium prædicauerit Marcella, & vitam beatæ Marthæ ingenti volumine Hebraico conscripserit, tanti tamen illa non fuit Galesinio & Baronio, vt locum in Romano Martyrologio consequeretur.

Quintum vltro se obiicit Martyrologium Gallicanum, quod Maurolyci vestigia studiosissimè relegit, aliorumque nouitates multis partibus locupletauit: 8. Iunij: *Apud Aquas Sextias sub 2. Narbonensi sancti Maximini, qui comes sancti Lazari, ac beatæ Mariæ Magdalenæ hanc Ecclesiam sua prædicatione erexit.* 22. Iulij. *Transitus ad cælos gloriosus beatissimæ pœnitentis Mariæ Magdalenæ*, &c. quæ ex Vincentio, Legendâ âureâ, & Petro Veneto cumulatissimè describit. 29. Iulij: *Tarasci in Gallia Narbonensi sanctæ Marthæ Virginis, &c.* quæ ex iisdem auctoribus repetit. Eodem die in Supplemento Martyrologij: *Aquis Sextiis sanctæ Marcellæ ancillæ beatæ Marthæ Virginis, quam è Palæstina in Gallias secuta tandiu fideli obsequio iuuit, quousque illa beata Tarasci defuncta est. Tum enim cum for-*

te in patriam Marcella *remearet, in Illyrico diuina vocatione anticipata felici efflatu spiritum remisit ad Dominum. At hinc eius corpus in Gallias relatum, Aquis Sextiis pone tumulum sancti* Maximini*, cuius discipula fuerat, omni cum honore collocatum, &c.* Abundè fabularum audiuimus. 1. Septembris: *Massiliæ natalis sancti Lazari, &c.* 17. Decembris: *Triumphus sancti Lazari à Christo suscitati primi illius ciuitatis* (*Massiliæ*) *Episcopi &* Martyris *&c.* quæ vtrobique ex memoratis auctoribus arcessit, non æquè impolito sermone, sed non veriori sensu. In historia verò non orationis, sed veritatis cultus potissimùm desideratur. Qui enim quod falsum est, artificio purioris latinitatis in verum mutatum iri spectaret, næ ille non è Iudæa Massiliam, vt Madalena cum sociis, sed Massiliâ nauiget Anticyram necesse est. Tria sunt in hoc Martyrologio, quibus Galesinii & Baronij Martyrologium excedit. Vnum est, quod rediuiuus Lazarus bis in Gallia, quam nunquam vidit, moriatur, semel ad primum septembris, iterum ad decimum septimum Decembris. Alterum, quod Lazarum

Martyrem faciat; an autem fuerat Martyr, Galesinius & Baronius non affirmarunt, & Petrus venetus confessorem fecit. Tertium, quod Marcellæ pedissequæ locum inter sanctos Galliæ concedat, quem illi in suis Martyrologiis denegarunt; Auctorem inter ceteros commodè habet Maurolycum, quem Galesinius & Baronius tacitò reiecerunt.

Cap. III.

De Maximino nonnihil disseritur: Multiplex de de sancto Lazaro figmentum sola recensione exploditur & inde pristina veritas confirmatur.

QVanto in errore versentur, & in quot auia falsitatis abducantur, qui dimissa pristinæ veritatis luce scribunt, siquis superiori capite assecutus non sit, hoc & sequenti capite assequatur. Maximini antiquior est in Gallia, quam Lazari in subdititiis monimentis Episcopatus. Etenim in gestis Marthæ & Magdalenæ, quæ refert Vincentius, nec

Episcopatus, nec adeo nomen Lazari reperitur, at in iis Maximinus Aquensium Episcopus est, cui beatus Petrus Magdalenæ custodiam commisit. Post huius auctoris ætatem, Lazarus conscendit nauem Magdalenæ, in Prouinciam appellit, & Massiliensium creatur Episcopus. *Tunc in Ciuitate Massiliæ*, inquit Iacobus in Legenda Aurea, *omnia idolorum templa destruentes, Christi Ecclesias construxerunt, & beatum Lazarum in eadem ciuitate Episcopum vnanimiter elegerunt.* Quæ omnia sibi post aliquot annos vindicauit Petrus in Catalogo sanctorum. Enimverò quæ ad Lazarum pertinent figmenta, paulò altius repetenda sunt.

Lazarus, quem vt in priori Dissertationis parte, & in primo secundæ partis capite vidimus, pro Episcopo & Martyre nullus habuit vnquam, quingentis plus minus abhinc annis primùm in Insula Cypro, deinde in Gallia Narbonensi Episcopus & Martyr habitus est. Quod itaque de Lazaro prius fictum est, prius exequamur.

Honorius Augustodunensis Presbyter sermone in Ramispalmarum de E-

piſcopatu Cypri rumorem primus, aut ſaltem è primis ſcripto mandauit *Phariſæi*, inquit, *decreuerunt, vt Lazarus interficeretur, ſed Deo de illo melius diſponente ad vtilitatem Eccleſiæ reſeruatur. Nam fertur, quod poſtmodum triginta annis in Cypro Eccleſiæ Epiſcopus præfuerit.* Affingendi Lazaro Epiſcopatum in Cypro facilis ex eo cauſa fuit, quod Lazari reliquiæ ex hac Inſuſa Conſtantinopolim tranſlatæ ſint ab Leone qui Philoſophi nomẽ obtinuit.

Verùm hoc loco figmentis alia figmenta reuincamus ex ætate & auctoritate Honorii, qui vt ſcribit Trithemius ad annum 1120. floruit. Martyrologium Gallicanum 26. Octobris die reliquias ſancti Lazari Maſſilia tranſlatas apud Æduos circa annum 957. tum aliàs ibidem 20. Octobris releuationem corporis ſancti Lazari Epiſcopi, & martyris factam ſub Ludouico 7. verboſiùs exhibet; quæ omnia breuiori quidem, ſed non veriori oratione dixerat Robertus in Gallia Chriſtiana. Componite quæſo hæc, & videte modo, vtrum quæ retulimus ex Honorio, dixiſſet Honorius, ſi primùm quædam

in Gallicana Ecclesia obtinuisset opinio, Lazarum nostrum Massiliensem Ecclesiam rexisse? Si deinde Augustodunenses Lazari reliquias pridem habuissent ex hac Ecclesia, cuius fuisset olim Episcopus, & si suo tempore releuatæ, vt loqui amant, fuissent? An non ex oblata occasione in Lazari laudes, & piam commemorationem excurrisset, cuius corpore Augustodunensis nobilitaretur Ecclesia? huius rei perspicuitas cum amplioribus verbis eleuaretur, narrationem persequimur.

Nondum erat ab Honorij ætate quinquagesimus annus, quo rumor increbuit, Lazari reliquias esse Augustoduni. Hoc ex Abbreuiato quodam Chronico discimus, quod licet in Bibliotheca sancti Victoris inter opera Hugonis reperiatur, Hugonis tamen non est, nisi auctum dicatur, & auctarium dignoscatur. Desinit quippe in annum 1190. quem Hugo rebus humanis exemptus anno 1140. attingere non potuit: *Corpus*, inquit, *beati Lazari fratris earum* (Marthæ & Magdalenæ) *fertur esse apud Augustodunum; quæ est ciuitas Æduorum.*

Vnde

Vnde autem huc aduenerit Lazari corpus, nullo certo indicio prodit, nec Lazarum insuper Episcopum fuisse vel Martyrem significat, sed ab aliis posteà significatum est. Falsi quippe rumores ex paruis nascuntur initiis, & in magnas tandem fabulas adolescunt, quibus & ipsi sapientes, si quando non caueant sibi, & aures & calamos accomodant.

Ex incerta fama, cuius Honorius Augustodunensis meminit, ortum habere videtur Prosa illa, quæ in veteri officio Ecclesiæ sancti Lazari ad Bellouacum decantatur: *Suscitatur Lazarus tumulo vinctus manus, & pedes vinculo, adepturus dignius præmium, gratulantur plures è populo, proclamantes viso miraculo, Redemptorem venisse gentium.* Et paulo post: *Discedit Lazarus, deserit patriam, mare transiit, timens sæuitiam Iudæorum, deuenit ocyus in Cyprum Insulam flos Sanctorum, præsulatu sublimatus mundo vixit Deo gratus, tandem per martyrum est à Deo coronatus, & in cælo collocatus ordine cælestium.* Hæc eadem Prosa etiam nunc canitur in Diuinis Officiis Ecclesiæ sancti Lazari, quæ est ad Lutetiam

Parisiorum. Atque ita fit, vt quo die Lazarus in Parisiensi suburbio Episcopatum in Cypro gessisse, & Martyrium compleuisse dicitur, eodem & in vrbe Massiliensis Episcopus asseratur ab iis, qui Parisiensis Breuiarij Lectiones recitant, aut ab anno circiter 1565. recitarunt. Scilicet ab isto tempore quæ lectiones ex Decreto Senonensi, & Tridentino debuissent expungi, tunc Parisiense Breuiarium occuparunt. An autem ex quo Lazarus iste cœpit haberi Massiliensis Episcopus, illud carminis genus compositum fuerit, quis credet, cum istiusmodi carminum Auctores gentis suæ opinioni sese soleant accommodare?

His accedit Villamontius lib. 2. Peregrinationum cap. 7. qui cum in Insula Cypro versaretur, & Cytio, quod est oppidum Cypri, transiret, vidisse se antiquissima templa scribit ex populi traditione, in honorem sancti Lazari Cytiensis Episcopi ædificata. Verum hæc Loci traditio quanquam Massiliensi antiquior, à veræ tamen traditionis natura deficit, cum nullum supra

ſexcentos annos teſtem' ſui habeat idoneum ; nec cum vetuſtis de Lazaro Græcorum traditionibus conueniat. Etenim cum Epiphanius in Cypro Epiſcopus, Zonaras, Cedrenus, Curopalates, & Menologia Lazaro non tribuant Epiſcopatum, quis illi Epiſcopatum poſtea tribuere prudenter poſſet? Hic quoque Epiſcopatus Nicephoro incognitus fuit, tametſi de Lazaro ſpecialia quædam narrarit lib. 1. Hiſtoriæ cap. 25. *Multitudine* (poſt eius ſuſcitationem) *tumultuante ac Pontificibus, & ipſius Lazari occidendi conſilium, rationemque quærentibus, Hieroſolymis relictis inde ſeceſſit, & finitimum, qui Ephrem dicitur, incolit locum.* In vrbe Cytienſi, ex qua Lazari corpus tranſlatum fuit Conſtantinopolim, erecta in honorem illius templa fuiſſe non dubito, & illa, quæ oſtenſa ſunt Peregrinantibus vetuſtiſſima facilè credo, ſed quibus progreſſu temporis Lazaro, ex occaſione reliquiarum vulgus Cytienſem Epiſcopatum affinxit. Vtrum autem id carminis, quod relatum eſt, à Cypriis Galli, cum rerum in Inſula potirentur, acce-

perint, vel aliter contigerit, non anxiè quærimus, cum vbique semper fuerint, qui similes versus & historias scriberent.

Nunc Massiliense Lazari Sacerdotium breuiter expediamus, & missum faciamus Reinerium, qui ad annum 1256. lib. contra Vualdenses cap. 1. Lazarum antistitem fuisse scribit, sed cuius Ecclesiæ, non meminit: *Leprosus*, inquit, *factus est Cenomanensis Episcopus, & dictus est Tubanus, & Lazarus etiam factus est Episcopus.*

Et verò ex iis, quæ iam de Maximino animaduertimus, satis apparet Lazarum longè seriùs factum fuisse Episcopum Massiliæ, quàm Maximinum Aquarum Sextiarum. Iacobus Genuensis, qui circa annum 1300. Legendam Auream composuit, & secundum illum Philippus Cabellicensis Episcopus qui circa annum 1355. Apologiam pro Prædicatoribus sancti Maximini contra Vizeliaci Monachos scripsit, primi, aut saltem inter primos Lazarum cum aliis in nauem Magdalenæ coniecerunt, eique de Massiliensi Ec-

clesia prouiderunt. Quæ res postmodum, vt ex se præclara visa est, in Sanctorum Martyrum Topographiam, quę, vt volunt, edita est anno 1450.& Neapoli recognita anno 1572. in Catalogum Sanctorum, quem Petrus Venetus contexuit, in Compilationem Chronologiám, quæ anno 1474. finitur, in vltimam de Lazaro Philippi Baussetti Canonici Massiliensis panegyrim, in mille Recentiorum, Scriptorum commentarios, atque adeò in Gallicanum Martyrologium, rapidâ quadam & effusâ alluuione transiuit.

Quoniam verò ex Recentioribus aliqui Vincentium, Iacobum & Petrum citare non audent, quos quisquilias volantes, & venti spolia non raró collegisse literatorum hominum nemo negat, suam sic artem in exitium veritatis occultant. Ex futilibus; quas illi referunt, historijs ad libidinem alia reijciunt, alia retinent, alia comptiori latinitate donant. quod sanè & pro suo, & pro similium Scriptorum iure, qui Sanctorum gesta ad primam sui originem non recensent, facere possunt: *Mentior*: in-

quit Tertullianus, *si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde arbitrio suo modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit, qui tradidit.* Quasi verò ex aliqua narratione, quæ tota veris historiæ & traditionis legibus reijci debet, si aliud auferas, aliud immutes, aliud expolias, veritate nitatur, quod tibi placebit, in certa traditione positum sit, quod traditum scripseris? Non ergo tibi liceat nomen traditionis semper vsurpare, cum quid ipsa sit, quid valeat, quid postulet, ignores, aut fabulandi causa dissimules. Quæ corrupta sunt aliquando Sanctorum acta, non ad cuiuslibet vertiginis calculos, sed ad vetustiora & puriora exemplaria exigi debent, adminiculante tunc, si velis, coniecturâ, sed quæ nihil à recto & benè morato iudicio alienum sapiat, & præterea primis Ecclesiarum traditionibus agglutinetur.

Cap. IIII.

Multiplex de Magdalena & Martha figmentum sola recensione exploditur, & inde pristina veritas illustratur.

TAndem ad fabularum caput, & originem deuenimus. Agedum igitur: de Magdalena non minus apud recentiores Græcos, quam apud Latinos multa contra veritatem narrata sunt. Græci suas fabulas partim reiecerunt, partim à Latinis reiiciendas reliquerunt.

Fabulam vnam narrat Michaël Glycas, & refellit Annalium parte tertia: *Caue autem*, inquit, *dilecte fili, ne fortè per ea, quæ hinc inde fabulosa sparguntur, tua quoque mens peruertatur. Famam enim apud multos obtinuisse, quod medicus ille Galenus in Magdalenam inciderit, & audiuerit ex ea, Christum quendam à natiuitate cæcum sanasse, cui Galenus responderit, necesse fuisse, vt Christus terræ metalla benè cognita habuerit, alioqui visum cæco restitue-*

re non potuisse. Verum eiusmodi rumorem fabularum in ordinem & numerum referimus. Nam fieri prorsus nequit, vt de istorum sententia Galenus cum Magdalena sit collocutus, qui Marci Imperatoris in ijs meminerit, quæ ad Pisonem perscripsit, itemque Commodi mentionem Imperatoris in primo de moribus libro fecerit. Nam inter ætatem Domini nostri Iesu Christi & Imperium Commodi propemodum anni 150. intercedunt.

Alteram fabulam recenset Constantinus Manasses qui suos ad Botoniatem annales perduxit. *Post deuinctam*, inquit, *mortem illam execrabilem, cum hic rerum opifex è sepulchro resurrexisset, Maria Magdalena Romam vsque cucurrit, & sceleratis illis accusatis, tantopere Tiberium ad iram commouit, vt omnes graui acerbaque morte multaret.* Qui Christi post suam Resurrectionem gesta, & historiam Tiberij, & quæ ex Modesto retulimus, nouit, nihil horum contigisse apprimè nouit: sed ne actum agamus, ad Latinos accedendum est.

Gaufridus Vindocinensis in sermone de Magdalena primus est, qui, ni fallor, inter Latinos recepit in se, quod nonni-

hil incerti, & fabulosi sapit: *O quam Venerabilis,* inquit, *discipula veritatis, quæ post perceptam à Domino Iesu Christo absolutionem omnium peccatorum, post eius Resurrectionem & Ascensionem in cælos, & sancti Spiritus Aduentum declinans inuidiam Iudæorum, & patriæ vltimum vale dicens, pro sui conditoris amore suscepit gaudens exilium. Est itaque de propriis egressa finibus, Dominum Iesum Christum Deum verum assiduè prædicans, eius Resurrectionis testificans veritatem.* Hæc ille, qui ad extrema Honorij 2. tempora peruenit.

Gaufrido æqualis accedit Honorius Augustod. in serm. de Magdalena: *De ea fertur, quod postquam Dominum cum aliis discipulis ascendere viderit, & spiritum sanctum acceperit, eius amore postea virum non viderit, & noluerit, sed in eremum veniens in spelunca aliquot annis habitauerit, ad quam dum quidam Presbyter errabundus venisset, & quænam esset, inquisisset, Mariam peccatricem se esse respondit, eumque ad sepeliendum eius corpus missum retulit. His dictis mundum, quem inhorruit, gloriabunda abiens deseruit, & Angelis hymnum concinnentibus ad Dominum perrexit.* Ex Gaufrido & Honorio

discimus in primis, nullum esse virum etiam grauem, qui fabulosis vulgi opinionibus non aliquando rapiatur in errorem; deinde quæ & qualis sit vis, & efficacitas coniecturæ, quam in priori Dissertationis parte cap. 3. ex Odone Cluniacensi deduximus.

Quo autem se proripuerit Magdalena post Ascensionem Domini, vel quo secesserit in exilium, vel vbi eremus fuerit, & spelunca, in quam abdiderit se pœnitentiam actura, Gaufridus & Honorius non dicunt, sed Marcella nescio quę Marthę famula, cui vt auctrici Magdalenę & Marthæ gesta Vincentius Bellouacensis, & ex eo alij constanter tribuerunt. Hęc cum ita sese habeant, ficta illa post annum millesimum Magdalenæ & Marthę gesta, & manuscripti codices eorum, si ad hodierum tempus spectes, vetusta quidem gesta, & vetusti codices dici possunt, & vetus vtcunque de illis Magdalenæ & Marthę gestis traditio, sed si cum prima, & antiqua traditione, quę labis expers est, componas, noua sunt illa omnia, & erunt semper, nec vllam vnquam

vetustatem acquirent præterquam erroris.

Gaufrido & Honorio commodùm adiungendus est auctor Abbreuiati Chronici, quod iam laudauimus: *Persecutione*, inquit, *post lapidationem Stephani Protomartyris mota, Maximinus vnus de septuaginta Christi discipulis ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum abduxit, & eam in Aquensi vrbe, cui præsidebat, defunctam sepeliuit. Aquensi verò vrbe à Sarracenis desolata, corpus eiusdem Mariæ à Girardo Burgundiæ Comite ad cœnobium Vizeliacum à se constructum transfertur, quanquam aliqui scribant, quod hæc apud Ephesum quiescat, nullum super se tegmen habens. Corpus autem sanctæ Marthæ dicitur esse sepultum apud Tharascum oppidum prope ciuitatem Arelatensium. Corpus verò beati Lazari, &c.* vt supra. Ecce tibi famæ initium natiuis affectibus adumbratum. Sepultam fuisse Aquis Sextiis Magdalenam nostro dubium est auctori, quod illam apud Ephesum iacêre scribant nonnulli. Sed cum innuit suo tempore Magdalenam Ephesi quiescere, continuò innuit se non probè no-

uiſſe pietatem Leonis Imperatoris, qui ſacrum Magdalenæ corpus Epheſo Conſtantinopolim tranſtulit, ibique ampliſſimum ædificari templum voluit. De ſepulturæ quoque Marthæ id, quod adhuc erat famæ obnoxium, recenſet. At verò poſtea famę, quæ nomen incerti eſt, mendacium ſucceſſit, quo rem geſtam, inſuper habitis eius natalibus, confidentiſſimè pronunciatur.

Hîc ergo nobis ſufficiat primos erroris fontes, primaſq; fabularum origines indicaſſe, quas Vincentius Bellouacenſis in Speculum, Hiſpani fabulatores in furtiuum Dextri Chronicum, Iacobus Genuenſis in Legendam Auream, Bernardus Guidonis in Speculum ſanctorum, Philippus Cabellicenſis in reconcinnatam à ſe Magdalenæ hiſtoriam, beatus Antoninus in primam partem hiſtorialem, Petrus Venetus in Catalogum Sanctorum deriuarunt, vnde poſtea in quarundam Eccleſiarum Officia, Calendaria, & Martyrologia irrepſerint. Quod tamen non publico vllius priuatæ, nedum vniuerſalis Eccleſię iudicio contigit, im-

mò folâ priuatorum quorundam hominum operâ, qui non femper quid veri & certi, fed quid fplendidi, & plaufibilis habeant quęcumque fcribuntur, vel leguntur, inquirunt, & obferuant. Neque verò credas hęc à me dici, vt illis auctoribus debitæ laudis quicquam detrahatur. Minimè gentium. Sed profectò de veritate, de Ecclefia, de pofteris benè meriti fuiffent, fi Ecclefiafticorum canonum memores non feciffent fua, quæ obfcuri nugatores ex falfo compofuerunt, vel quæ de ambiguitate cœperunt. Etenim pręter hos auctores ex antiquioribus notum habent neminem, qui in teftem vulgarium Marthæ & Magdalenę geftorum appelletur. Vtinam igitur principalem rerum fuarum terminum de fchola Auguftini agnouiffent, in quam nullus ingreditur, nifi qui iuret in hæc pronuntiata: *Non fit nobis religio in phantafmatibus noftris. Melius eft qualecunque verum, quam omne quicquid pro arbitrio fingi poteft. Melior eft vera ftipula, quam lux inani cogitatione pro fufpicantis voluntate formata.*

Quid nunc ad Vincentij & Sectato-

rum dedecus ex gestis Maximini, Magdalenæ & marthæ referam', Christianorum plures, quos Iudęi vexauerant, cum Maximino, Martha & Magdalena nauem conscendisse? Trophimum Arelatensem, Paulum Narbonensem, Saturninum Tolosanum, marcialem Lemouicensem, Eutropium Sanctonensem, Iulianum Cenomanensem, Austregisilum Bituricensem, Gatianum Turonensem, Irenæum Lugdunensem, Ferrucium Vesontionensem, Eutropium Arausicum, Frontonem Petragoricensem, Georgium Vellaunensem, Dionysium Parisiensem, cui & in ipsa nauis conscensione tota Gallia commissa est? Quid memorem sanctissimos homines, quos gens immanitate barbara proprijs finibus expulit, omnes in Gallia castellis, villis, vrbibus, amplissimis Ecclesiiis & opibus ditatos? quid Massiliæ ducem & eius vxorem, quos magdalena ad Christi religionem sua prædicatione pellexit, quos ad inuisenda sacra Palæstinæ loca ablegauit? Quid beatum Petrum, qui in medio nauigationis cursu massi-

liæ duci obuiam processit, qui illum de recenti vxoris in puerperio morte solatus est, qui futurum se residui itineris comitem promisit, qui illum in Palæstinam introduxit, & vbi demum Christus pâssus, mortuus, & sepultus fuerat, humanissimè ostendit? Quid defunctam ducis vxorem, quæ Magdalenæ precibus ad vitam reuocata, non minus, quàm vir illius dux Massiliæ, sed per aliam omninò viam loca sancta visitatum iuit cum Magdalena? Quid mutuum viri & vxoris super sua peregrinatione colloquium? Quid dicam de infantulo, qui ad sepultæ matris papillam applicatus sic creuit, vt cum pater rediret, filiolum cum aliis pueris ludentem inuenerit ad litus maris, vbi mater terræ mandata fuerat? Quid adducam vastantem omnia draconem, qui à Martha in mansuetudinem eruditus, & populo ad transfigendum traditus est, à quo deinceps locus, vbi voratrinam exercebat draco, nomen Tharasconis accepit? quid exequias Marthæ, quas Christus & sanctus Fronto psalmodiæ vacantes celebrarunt? quid

Marcellam Marthæ pedissequam, quæ post Dominæ suæ mortem Illyricum perrexit, & ibi per decem annos Euangelium prædicauit, vnde postea corpus eius translatum est Aquas Sextias, & iuxta beatæ Magdalenæ & Maximini corpora sepultum? Quid denique expromam cetera, auribus animisque absurda, immo nec digna, quæ discutiantur vel risu?

Nunc non quærimus, vtrum istum naualem apparatum nouerit instructor non absimilis nauis, qua sancti Iacobi corpus septem eius discipuli Hierosolymis in Hispaniam transtulerunt, vbi & à Gallecię Rege suscepti, Euangelium Iberis nunciarunt, & insigne Magistro suo sepulchrum condiderunt, vt scribit Ordericus Vitalis lib. 2. historiæ: hoc, inquam, non quærimus, cum nunquam & nusquam defuerint artifices, qui fabulosa eiusmodi nauigia fabricarentur. Sed vt nihil à se dictum, vel fictum putetur, sic fidem suam liberat Vincentius libro 10. Speculi historialis cap. 107. & simul sibi, suisque narrationibus omnem abrogat auctoritatem:

lem: *Martilla* (aliàs Marcella) *post excessum beatæ Marthæ decem annis superuixit, cuius vitam non paruo volumine hebraicè conscripsit; quam egò Synthex multa prætermittens latinè transcripsi. Euchodius autem, Germanus, Parmenas, & Sosthenes beatæ Marthæ comites & alumni, quoad vixerint ad sacratissimam eius sepulturam peruigilantes ibidem beato fine quieuerunt.* En epicitharisma post fabulam, quo recreentur necesse est, quicumque magno cum labore, animique ægritudine, hæc Magdalenæ, & Marthæ gesta suos in libros transcripserunt. Duæ sunt igitur personæ, quæ in acta Marthæ, ac proinde Magdalenæ incubuerunt, Marcella, & Synthex: An autem Synthex fœmina sit, vt & Marcella, nec-ne, illorum actorum vindicibus discutiendum relinquo: satis est, quod Marcella Dominæ suæ, & Magdalenæ gesta ingenti volumine hebraico descripserit, & Synthex hæc gesta in compendium miserit, & latinitate donarit. Non inuerissimile est Recentiores illos, qui contractis à Synthice Marthæ, & Magdalenę gestis pleraque de Lazaro, deque aliis rebus ad-

diderunt, hebraicum Marcellæ codicem recuperasse, quo integra Marthæ & Magdalenæ gesta continerentur, sed adduci non possum ego, vt credam nostros Recentiores examinasse, quibus debuit punctis codex ille notari.

Cap. V.

Exorta Vizeliaci Monachos inter, & Aquenses ac Prædicatores S. Maximini de corpore Magdalenæ contentio refertur, & dirimitur, vnde postmodum pristinæ veritas traditionis confirmabitur.

QVi nostri capitis indicem vel leuiter inspiciet, sine dubio affirmabit lubricum esse argumenti genus, quod tractamus, & inuidiosum iudicium, quod pronuntiaturi sumus. Sed omnibus præferenda rebus inuidiam eleuabit veritas, quæ hac in parte illustris reddetur. In omni de re possessa lite quærendum est, quis prior, & quo iure possedit: quo tempore possef-

ſio, & quibus inſtrumentis turbari cœpta eſt. Legitimam hoc capite poſſeſſionem probamus, illius poſtea originem, & aliorum, quæ conſecuta ſunt, indagaturi. Atque vt in hac controuerſia ordinem doctrinæ potiùs, quàm fori ſeruemus, videndum inprimis, quis prior ex Monachis, vel Prædicatoribus poſſedit? Beatæ MAGDALENÆ corpus Monachi Vizeliacenſes poſſident, & pluribus annis antè poſſident, quàm vel Aquenſes repugnarent, & Prędicatorum Ordo natus eſſet: immo Prædicatores poſſeſſionem MONACHORUM prius profeſſi ſunt, quàm turbarent. Quæ duo ſigillatim demonſtratum imus.

Ad primùm quod attinet, legitimæ ſeu pacificæ poſſeſſionis teſtes pręſto ſunt quatuor Romani Pontifices, quorum priuilegia, ſi quartum excipias, nunc primùm in lucem edimus, prout ea ex Archiuis Vizeliaci non ita pridem deprompſit, & nobis communicauit V. cl. Andreas Quercetanus, Regis Hiſtoriographus.

I. *Lucius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*

dilectis filijs G. Abbati, & Fratribus Vizeliacensibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Fratres nostri Episcopi & Cardinales nos suppliciter & deuotè rogarunt, vt Monasterium vestrum pro reuerentia beatæ MARIÆ MAGDALENÆ, CVIVS IBI CORPVS QVIESCIT, *largitionis nostræ studeremus munere decorare, vt ex hoc magis apud homines celebre fieret, & maioris venerationis in posterum haberetur. Vt igitur de largitione gratiæ Apostolicæ* Sedis *valeat amplius gloriari, & in maiori apud homines veneratione haberi, tibi fili Abbas, tuisque successoribus, vsum mitræ de consueta benignitate* A*postolicæ Sedis concedimus, & vt ea in præcipuis solemnitatibus, & processionibus Monasterij, in Conciliis Romanorum Pontificum, in Consessu Episcoporum, & mortuorum exequiis liberè vti possitis, clementiùs indulgemus. Datum Laterani Id. Ianuarij.*

2. *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui sanctæ Mariæ Magdalenæ Vizeliacensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad Ecclesiastici decoris augmentum insignia reperta sunt dignitatum; quæ Sacrosancta* R*omana*

Ecclesia congrua in singulos liberalitate distribuit, & deuotis filiis, prout dignum iudicat, suscipienda pariter, & obtinenda concedit, vnde nos pro reuerentia beatæ MARIÆ MAGDALENÆ, CVIVS SACRVM CORPVS IN VESTRA ECCLESIA REQVIESCIT, *& vestræ deuotionis merito prouocati vsum mitræ, chirothecarum & annuli, tibi fili Abbas, tuisque successoribus indulgemus, & auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo, &c. Datum Veronæ* 3. *Non. Iulij.*

3. *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei Girardo, & Conuentui Vizeliacensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad Ecclesiastici decoris augmentum insignia reperta sunt dignitatum, quæ Sacrosancta Romana Ecclesia congrua in singulos liberalitate distribuit, & deuotis filiis, prout dignum iudicat, suscipienda pariter, & obtinenda concedit, vnde nos pro reuerentia beatæ* MARIÆ MAGDALENÆ, CVIVS SACRVM CORPVS IN VESTRA ECCLESIA REQVIESCIT, *& vestræ deuotionis merito prouocati, vsum sandaliorum, tibi fili Abbas, tuisque successoribus infra tuas Ecclesias indulgemus, & auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo*

&c. Datum Pisis 15. *Calend. Februarij indictione* 6.

4. Innocentius tertius lib. 1. Epistolarum Decretalium Epistola ad Gerardum Abbatem Vizeliacensem : *Liceat insuper , sicut à benignitate Sedis Apostolicæ instantius postulastis , vt tam in solemnitate, quàm in* TRANSLATIONE BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ *infra quadragesimam annis singulis celebratis , ad gloriam Dei , & laudem , ob Solemnitatis ipsius reuerentiam, Gloria in excelsis Deo, ad Missas de Festiuitate ipsius in Monasteriis vestris solemniter decantatis.*

Næ cæcus sit ille , qui ex his non videt longè ante institutum Prædicatorum Ordinem , & in Vizeliaci cœnobio corpus Magdalenæ sine vlla controuersia fuisse , & illius celebratam magno cum pietatis sensu translationem. Enimuerò Ioannes Saresberiensis Carnotensium Episcopus, qui ab anno 1154. ad annum vsque 1180. floruit, Epistola 274. testatur suo tempore, & suo exemplo Galliæ præsules ad Vizeliacum, vt beatæ Magdalenæ festo interessent , conuolasse. *Nuper* , inquit , *in festo beatæ*

Mariæ Magdalenæ Vizeliacum profectus sum. Quod antea, & de Præsulibus forsan, & de alijs non obſcurè ſignificat monachus Autiſiodorenſis in Chronico, anno 1120: *Hoc anno*, inquit, *in Eccleſia Vizeliacenſi, in Vigilia tranſitus beatæ Mariæ Magdalenæ incertum, quo Dei iudicio innumerabiles promiſcui ſexus, & ætatis, atque ordinis in ipſo crepuſculo noctis, atque diei Eccleſia ſubitò conflagrante combuſtiſunt.*

Nunc aſſertam a Prædicatoribus Magdalenæ tranſlationem demonſtremus: Vincentius Bellouacenſis, qui ad annum 1240. claruit, de tranſlatione Mariæ Magdalenę ſic diſſerit libro 24. ſpeculi hiſtorialis cap. 152. *Porrò* inquit, *quando de vrbe Aquenſi tranſlatum eſt corpus ſanctum, inuentum eſt in ſepulchro ſuo ex omni parte integerrimum, cute etiam integerrima ſuperductum*: infra. *Quam ſacram glebam frater Badilo Vizeliacenſis cœnobij, qui ad hoc ipſum ab Abbate Eudone, & Girardo comite illuc directus fuerat, vt ſi quod inuenire pignus poſſet, ad illos deferret.* infra. *Intromiſerunt corpus in Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis, & beatorum Apoſtolorum à principio conſecratam, atque, ibi honorificè*

vt decebat, repoſuerunt 14. *Calend. Aprilis.*

Ad Vincentium accedit Breuiarium Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod anno 1254. confectum, in Bibliotheca eorumdem aſſeruatur Lutetiæ : Lectionem ſextam habet ex tranſlationis libello, qui ad marginem rubricatâ lineâ indicatur : *Tranſlatum eſt*, ait, *corpus Mariæ Magdalenæ de loco prædicto*, (Aquenſi vrbe) *ad monaſterium, quod dicitur Virziliacum, anno paſsionis Domini* 749. Tranſlationis libellus, quem Vincentius & auctores Breuiarij probando ſuum fecerunt, quid contineat veri, quid falſi, poſteà expendemus, nunc ſatis eſt Magdalenę pacificam Vizeliaco tranſlationem vindicaſſe.

Tertius ſit Iacobus Genuenſis in vita Magdalenæ : *Cum ergo Vizeliacenſe monaſterium conſtruxiſſet*, (Gerardus dux Burgundiæ) *miſit & ipſe Abbas monaſterij quendam monachum cùm decenti comitatu ad Aquenſem ciuitatem, vt inde ſi poſſet habere beatæ Magdalenæ reliquias, transportaret. Veniens ergo prædictus monachus ad prædictam ciuitatem, cum ipſam funditus à paganis deſtructam reperiſſet, cauum*

quod-

quoddam inuenit ſepulchrum, cuius ſepultura marmorea demonſtrabat, quod corpus beatæ Mariæ Magdalenæ repoſitum intus erat. In poſito enim ſepulchro hiſtoria eius miro opere ſculpta erat. Nocte igitur illud effugiens, effringens fortè, *aſſumptas reliquias ad hoſpitium deportat. In qua autem nocte beata Maria Magdalena eidem apparuit monacho dicens: Ne timeret, ſed cœptum perficeret.* Et cetera, quibus multa in Vizeliaci monaſterio miracula patrata fuiſſe refert.

Vincentio & Breuiario addimus Iacobum Genuenſem, quamuis non ita nobis conſtet eum Legendam Auream edidiſſe ante annum 1280. quo procurantibus ſuis Fratribus noua facta eſt inuentio Magdalenæ in Villa, quæ nunc oppidum ſancti Maximini vocatur. Sed hac in re tam accurata temporis ratio nihil, aut parum iuuat. Etenim vel Iacobus Legendam ſuam compoſuit ante annum 1280. vel poſteà: ſi dicatur primum: non immeritò Vincentio, & Breuiario accenſetur, ſi ſecundum, inuentionem illam, quæ homini tam vicino vix ignota eſſe potuit, pro ni-

hilo duxit, & ita noſtram aſſertionem confirmat. Hæc cum ita ſeſe habeant, Pręḍicatorum ſancti Maximini rem ad Vincentium, Breuiarium Ordinis, & Iacobum, vt ad triarios rediiſſe, quis non animaduertit?

Cap. VI.

Magdalenæ tranſlatio ad Vizeliaci monaſterium contra quoſdam hæſitantes confirmatur.

De hac tranſlatione ſub annum 1255. à nonnullis dubitatum eſt. Cauſa dubitandi, ni fallor, duplex fuit: vna eſt, quod partim à Gregorio Turonenſi, & aliis Magdalena quieſcere Epheſi dicatur, partim ab auctore Abbreuiati Chronici, cuius mentionem fecimus, & ab interpolato Sigeberto Magdalenæ ad Vizeliacum tranſlatio in dubium reuocetur. Interpolatum iam tunc Sigebertum dicimus, tum quia Gemblacenſe Sigeberti exemplar, quod edidit Miræus, nihil de hac re tota

repræſentet, tum quia ſic à Librariis auctum producat Vincentius in Speculo lib. 24. cap. 151. *Aquenſi vrbe à Sarracenis deſolata corpus Mariæ Magdalenæ à Gerardo comite Burgundiæ ad cœnobium Vizeliacum à ſe conſtructum transfertur, quanquam aliqui ſcribant quod hoc apud Epheſum quieſcat, nullum ſuper ſe tegmen habens.* Sunt & alia Sigeberti exemplaria, vbi & illud adiectum eſt, quod acta Magdalenæ & Marthæ de Maximino tradunt: *Perſecutione poſt lapidationem Stephani mota, Maximinus vnus de 70. diſcipulis ad Gallias tranſiens Mariam Magdalenam ſecum abduxit, Et eum apud Aquenſem vrbem, cui præſidebat, ſepeliuit defunctam, Aquenſi verò vrbe à Sarracenis deſolata*, &c. vt ſupra. Has ad Sigeberti Chronicum appendiculas cum non aduerteret Baronius de Magdalena differens, Sigeberto tribuit, quod minimè tribuendum fuit.

Altera dubitandi cauſa, eaque potiſſima, quam ex beati Ludouici hiſtoria repetimus. Ludouicus cum anno 1254. ab expeditione Terrę Sanctæ in Galliam rediret, Prouinciam tranſiuit, &

Aquas Sextias se contulit, vt reliquias Magdalenæ inuiseret, quæ ab hac vrbe vnius diei itinere distabat, vt scribit Ionuillæus in Chronico cap. 80. Nunc, vt ferunt hominum mores, dubium ferè nullum est, quin Rex & Comites Regis, cum in hanc Galliarum partem redijssent, & profectionis suæ momenta expenderent aliquando, dixerint se in Prouincia Magdalenæ reliquias visitasse. At hæc non antè his in locis dicuntur, & maximè in Burgundia, quàm dubitetur, num in Vizeliaci Monasterio sit Magdalenæ corpus, vbi dudum esse credebatur. Quod non multò post rei probauit euentus. Dubitatum igitur à plerisque tunc est, vtrum Magdalenæ corpus Vizeliaci foret, cum duobus in locis non esset? Sed vt hic scrupulus ex animis hæsitantium tolleretur, monachi Guidonem Autisiodorensem, & Petrum Panceadensem Episcopos aduocarunt, qui translationi Magdalenæ his literis fidem fecerunt:

Vniuersis præsentes literas inspecturis Guido de Melloto diuina miseratione Autisiodo-

rensis, & Petrus eiusdem miseraoione Paneadensis Episcopi salutem in Domino. Cum publicè diceretur, & ferè ab omnibus Christi fidelibus notitiam loci Vizeliacensis habentibus crederetur,' quod corpus gloriosissimæ Mariæ Magdalenæ requiesceret in Monasterio *Vizeliacensi, quidam tamen, an ibi requiesceret, hæsitarent, religiosi viri Ioannes humilis Abbas ac Conuentus monasterii eiusdem pro firmo tenentis, quod in ipso monasterio requiesceret corpus gloriosissimæ peccatricis, & omnem scrupulum hæsitationis de fidelium mentibus amputare volentes, vt ad dictum monasterium veniremus, ad exquirendam huius rei rectitudinem, & probandam nobis humiliter suplicarent. Nos verò deuotis ipsorum petitionibus annuentes anno Domini* 1265. *die dominica ante festum beati Dionysii, ad dictum Vizeliacense venimus, & ipsa nocte per matutinas cum Conuentu personaliter ad locum accessimus, in quo dictum corpus gloriosissimum requiescere dicebatur, & circumfodientes ibidem quoddam vas nobile æneum, seu metallinum, quadratum, & longum in quodam loco subtus magnum altare deuotissimè inuenimus, & in dicto vase quasdam venerandas reliquias cum magna veneratione*

repositas, & in duobus pannis sericis inuolutas, & erat ibidem copia muliebrium capillorum. Quas quidem sanctas reliquias esse corpus beatissimæ Magdalenæ manifestissimè declaratur ex testimonio literarum illustrissimi Regis quondam Caroli cum ijsdem reliquijs inuentarum, quarum tenor talis est: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus Dei gratia Rex. Regalis celsitudinis mos est, vt nos iustorum supplicationibus annuendo ea, quæ futurorum commendanda sunt memoriæ, manus nostræ propria subscriptione firmemus, & annuli nostri impressione signemus. Idcirco nouerit experientia & industria omnium fidelium, quod in hoc sacro loculo reconditum est sacrum corpus beatissimæ Mariæ Magdalenæ. *Signum Caroli gloriosissimi Regis. Dictas verò reliquias lætanter inuoluimus, & cum magna circunstantium pietate, gaudio, & multitudine lacrymarum diligenter inspeximus, & postmodum deuotè adorauimus, superadditis quibusdam lintcamine, & alio panno, ne propter vetustatem pannorum sericorum de corpore tam gloriosissimæ, seu de tam venerandis reliquijs aliquid deperiret. Quibus taliter inuolutis, ac etiam ligatis à nobis, sigilla nostra ibidem apposuimus cum sigillo Religiosi viri Guerrici Abbatis S.* Mariani

Autisiodorensis, & venerabilis viri Magistri Petri Præcentoris Senonensis, ac huiusmodi venerandas reliquas cum dictis litteris ibidem repertis, in dicto vase reposuimus, supra idem vas: Nos Autisiodorensis Episcopus signum nostrum antè & retrò: Nos Pancadensis Episcopus, & dictus Abbas S. Mariani Autisiodorensis signa nostra nihilominus apponentes, ideoque vas iuxta locum suum pristinum reponentes, ac eundem vt prius fuerat, obturantes. In huius autem rei testimonium & certitudinem, sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Datum & actum anno Domini prædicto die Lunæ post Dominicam supradictam.

Huic reliquiarum inuentioni posteaquam Præsules incubuissent, illi ipsimet, quid egerant, sanctissimo Regi nunciarunt. Rex eos humaniter excepit, & releuandis, vt aiunt, Magdalenę reliquiis diem dixit, qui in beati Marci vigiliam incidit anno Domini 1267. Huic operi interfuit & ipse Rex, interfuerunt & Simon Cardinalis Apostolicæ Sedis in Francia Legatus, Alfonsus Comes Pictauiensis Regis frater, Theobaldus Nauarrę Rex, & Campanię Comes, tres Regis filij, Phi-

lippus, Ioannes & Petrus. Hugo Dux Burgundię, Alfonſus Comes de Augo, Guido Epiſcopus Autiſiodorenſis, Ioannes Abbas Vizeliacenſis, Geraldus Abbas ſancti Germani Pariſienſis, & plures alij Illuſtres viri, qui in actis Vizeliaci ſignificantur. Nunc dandæ ſunt litteræ, quibus & Magdalenę tranſlationi, & reliquiis certiſſimam fidem facit ſanctus Ludouicus.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex. Dilectis ſibi in Chriſto Abbati, & Conuentui Vizeliacenſi ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Mittimus vobis per dilectum & fidelem Clericum noſtrum Magiſtrum *Geraldum Archidiaconum in Eccleſia Pariſienſi, latorem præſentium, pretioſum brachium beatiſſimæ Mariæ* Magdalenæ, *& genam ipſius vna cum tribus dentibus, quæ in octauis Paſchæ vltimò præteriti cũ nos ſolemniter eiuſdem beatiſſimæ* Mariæ *tranſlationi interfuimus, nobis apud Vizeliacum tradidiſtis, quæ quidem ob ſpecialem deuotionem, quam nos & cuncti fideles habere debemus ad ipſam, in vaſculis aureis, & varijs lapidibus pretioſis ornatis, brachium videlicet in vaſculo facto ad modum brachij vna cum manu; genam*

verò

verò in alio vasculo, quod ab Angelo argenteo deaurato inter manus tenetur, fecimus honorificè collocari; vobis & vestræ Ecclesiæ ex parte nostra per dictum Archidiaconum præsentanda, in præsentia venerandi Patris Simonis tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, causa visitationis vestram Ecclesiam adeuntis. Verum cum vos de sacratissimo corpore prædictæ Beatæ MAGDALENÆ, *cum ipsius translationi, vt prædictum est, interfuimus, portionem bonam nobis liberaliter dedissetis, ex quo vobis grates referimus copiosas, nos liberalitatem vestram huiusmodi attendentes, vestram quoque Ecclesiam venerando decorare volentes exuuio, de sacratissimis reliquijs nostris, quas iam dudum recepimus de Imperij Constantinopolitani thesauro, vobis transmisimus, de pretioso videlicet ligno dominico, duas de spinis sacratissimæ coronæ Domini, de pannis infantiæ Saluatoris, de ipsius sudario, de veste purpurea, in qua fuit illusus, & de linteo, quo fuit præcinctus, quando pedes discipulorum suorum extersit in cœna: quas quidem reliquias fecimus in manus brachij supradicti reponi. Congruum enim visum est nobis, quod huiusmodi reliquiæ Redemptoris*

ponerentur cum reliquijs illius Sanctissimæ mulieris, quæ tam ardenter dilexit eundem, & ab eo tam largam suorum recipere meruit veniam delictorum: à qua etiam ipse tam familiariter se tangi permisit. Rogamus igitur dilectionem vestram, quatenus huiusmodi tam sanctas, tamque venerandas reliquias cum debito suscipientes honore, & ipsas cum ea veneratione, qua decet, conseruare cauentes, ne prædicta vascula, ac lapides pretiosi ad ornatum eorum appositi alienentur in posterum, seu etiam distrahantur. Ceterum vos ut vestris orationibus, ac beneficiis nostri, nostrorumque specialem perpetuò memoriam habere velitis. In cuius rei testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum, anno Domini 1267. mense Iulio.

His Ludouici literis subiungimus alias literas, quibus Simon Cardinalis Legatus, ea, quæ & à Rege dicta sunt, & ab aliis facta confirmat:

Simon miseratione diuina tit. sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus ad æternam rei memoriam. Sanctuarium pretiosum, quod his diebus Charissimus Princeps Ludouicus Rex Francorum illustris monasterio Vizeliacensi ad Romanam Eccle-

ſiam nullo medio pertinenti, Ordinis ſancti Benedicti, Æduenſis Diœceſis, per diſcretum virum Geraldum Archidiaconum in Eccleſia Pariſienſi tranſmiſit, & quod idem Archidiaconus in noſtra, & cleri & populi præſentia, religioſis viris Abbati, & Conuentui eiuſdem monaſterij, ex parte ipſius Regis præſentauit, & dedit, videlicet os brachij beatæ Mariæ Magdalenæ collocatum in vaſculo aureo ad modum brachij facto, ornato decem & octo Rubinis, quorum plures ſunt optimi, & reliqui ſunt balas, viginti & nouem Smaragdis, tredecim Sapphiris Orientalibus, & triginta duabus margaritis groſſis, partem etiam ligni veræ crucis, & pannorum infantiæ Saluatoris, ac purpuræ, in qua fuit illuſus, nec-non balthei, quo præcinctus extitit, cum lauit pedes diſcipulorum, & duas ſpinas de vera corona, qua in ſua paſſione extitit coronatus, in manu ipſius brachii ſituatas, genam quoque ipſius Sanctæ, cum tribus dentibus repoſitam in quodam vaſculo argenteo deaurato, quod Angelus argenteus deauratus, ornatus quatuor Merinis balas, & totidem Sapphiris, & octo Smaragdis tenet in manibus, intactum permanere volentes, & ad deuotionem perpetuam eidem monaſterio integraliter conſer-

uari, auctoritate qua fungimur, districtius inhibemus, nequis tantum Sanctuarium, seu ~~vasa~~ prædicta vasa, vel eorum partem, aut aliquem de prædictis lapidibus vendere, minuere, vel mutare, donare, impignorare, detrahere, vel scienter vendere præsumpserit, excommunicationis sententiam proferentes, ordinantes etiam, ac statuentes, & in virtute obedientiæ prædictis Abbati, & Conuentui districte præcipiendo mandantes, vt semel annuatim in Capitulo Generali personarum supradicti monasterij inhibitionem, & excommunicationem huiusmodi publicè legi, & diligenter exponi faciant, ac solemniter publicari. Datum apud Clameriacum quinto Idus Augusti Pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno tertio.

Ad extremum eiusdem Legati diploma subiungimus, quo Vizeliaci monasterium visitantibus comsuetam peccatorum veniam largitur:

Simon miseratione diuina tit. sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, Religiosis viris Abbati, & Conuentui monasterij Vizeliacensis ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentis, Ordinis sancti Benedicti, Æduensis Diœcesis salutem, & sinceram

in Domino caritatem. Sanctorum meritis inclyta gaudia fideles assequi minimè dubitamus, qui per condigna deuotionis obsequia, eorum patrocinia, eamque venerantur in illis, quorum gloria ipse est, & retributio meritorum. Causam itaque dare populis deuotis ad promerenda sempiterna gaudia cupientes, omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in singulis quatuor festiuitatibus, quæ de beata Maria Magdalena in Ecclesia vestra, IN QVA EIVS CORPVS REQVIESCIT, *annis singulis celebrantur, cum deuotione, ac reuerentia visitauerint annuatim, ibidem suorum peccatorum veniam, à misericordiarum Domino petentibus, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, ac ea, qua fungimur, auctoritate confisi, centum dies de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. Datum apud Clameriacum tertio Idus Augusti Pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno tertio.*

Hæc sunt insignia monumenta, quibus Vizeliacenses excitatam nuper de sua Magdalena dubitationem sustulerunt. Illa verò quoniam & ad commendandam beati Ludouici pietatem, &

ad historiæ lucem plurimum conducunt, integra quamuis paulò longiora exhibuimus, prout ea nobis aliquot ante annos communicauit v. cl. Andreas Quercetanus.

Cap. VII.

Alia corporis Magdalenæ Inuentio in Aquensis territorij Villa, vbi nunc oppidum sancti Maximini, & Monasterium Fratrum Prædicatorum, refertur, & à Vizeliacensibus Monachis contradicitur.

NON potuit prudentiùs testatissima illa Magdalenæ ad Vizeliacum translatio, & inuentio confutari, quam aliâ nouâ in Aquensi pago eiusdem inuentione. Etenim si verum beatæ Magdalenæ corpus inuentum sit ea in Villa, quæ nunc oppidum sancti Maximini vocatur, Magdalenæ corpus illud non fuit, quod pridem ad Vizeliaci Monasterium translatum est, & pluribus cum primis Romanorum Pontificum rescriptis, deinde oculatis sancti

Ludouici, & Cardinalis Simonis Legati teſtimoniis confirmatum. Vt interim ea omittam miracula, quę in Tranſlatione patrata referuntur apud Mombritium, & Iacobum Genuenſem in vita beatæ Magdalenæ. Quare omni opera enitendum eſt, vt cuius & quantæ ſit fidei inuentio, exploretur. Qui hanc hiſtoriam antè nos tractarunt in Annalibus Eccleſiæ, id eorum pace dixerimus, omiſerunt, à quo tota inuentionis, & rei inuentæ pendet auctoritas, & fides. Quod igitur omiſerunt, noſtræ diſcuſſionis caput erit, vbi conſiderandum, cuius conſilio, & à quo hæc noua beatæ Magdalenę inuentio procurata ſit.

Sub finem anni 1279. ſecreta quædam de ædificandis monaſterijs cogitatio immittitur Carolo Siciliæ Regi, & in Magdalenam, quę quondam in Prouincia pœnitentiam agens obierat, pietas afflatur. Diiudicantibus potiſſimum inter hęc omnia duobus Fratribus Ordinis Prędicatorum, altero Guillelmo Tonneſio, qui Carolo Regi à Conſiliis erat, & Confeſſionibus; altero venera-

bili Patre Elia, cui multa de Magdalenæ reliquiis reuelabantur. Tunc vbi sepulta Magdalena fuerat, nesciebatur ab an. 700. vel 710. quo Monachi quidã illius corpus occultauerant, metu Sarracenorum, qui ad spoliandam Aquensium regionem irruperant. Carolus Magdalenæ loculum perquirit ipse sollicitus, & perquiri iubet, solus inter mortales reseruatus, qui domum in honorem beatissimæ Peccatricis excitaret. Tandem inter perquirendum, ad absconditum sepulchrum numinis instinctu deuenitur. Effodiunt alij, effodit & ipse Rex, exuta chlamyde, & sumpto in manus bidente. Detegitur sepulchrum, & in eo vetus inuenitur inscriptio, quæ ab alijs neglecta, regias in manus commodùm incurrit. Et est talis: *Anno natiuitatis Dominicæ 710. sexta die Nouembris in nocte secretissima Regnante Odoino pijssimo Rege Francorum, tempore infestationis gentis perfidæ Sarracenorum, translatum fuit hoc corpus carissimæ, ac venerandæ beatæ Mariæ Magdalenæ de sepulchro suo alabastri in hoc marmoreo, timore gentis perfidæ.* Hęc porro sepulchri detectio, & insscriptionis

criptionis inuentio non sine reuelatione contigit, quę venerabili patri Ælię facta est. Tunc Carolus Rex confestim lętari, deinde prę gaudio lacrymari, tum alios ad lacrymandum suo exemplo impellere, quod ipse sepulchrum inuenisset omni Aquensium populo incognitum, & tot antè sęculis occultatum. Sed in hac & sepulchri, & corporis inuentione, quę paucis nota erat, regia pietas non sistit, vltrà progreditur, & tertio nonas Maij anno Domini 1280. vocat tam Regni, quàm Prouincię Pręlatos, Comites & Barones, quibus hęc omnia declarat, & insuper Antistites ipsi sacras reliquias palpant, & cereus in iis globulus eminet breuem continens schedulam, quâ hîc Magdalenam quiescere significatur. Ex hoc minus decenti loco reliquias extrahunt, & in capsa auro, argento, gemmisque ornata collocant, & Rex ibi amplissimum quoddam Fratribus Prędicatoribus Monasterium erigit; & plurimis reditibus instruit. Qua in re & pius princeps Magdalenę paruit, quę, vt hęc faceret omnia, per visum illi apparens imperauerat:

Locum meæ mortis, inquit, *& meæ pœnitentiæ Fratribus, id est, Prædicatoribus trades. ego enim Prædicatrix, & Apostola fui. Conuentui loci, in quo decessi, reditus pro centum Fratribus assignabis, vt semper ibi vigeat studium generale*: Quibus iussis euanuit, nec pro Fratribus Minoribus quicquam, vt apparet, imperauit. Hæc est integra totius inuentionis Magdalenæ narratio, quam comparauimus ex Richardo Cisterciensi apud Bzouium, ex Ptolomæo Lucensi, & Bernardo Guidonis apud Spondanum, ex Siluestro Prierate in expositione Euangelij feriæ 5. infra octauas Paschæ, & ex Philippo Cabellicensi Episcopo in historia Magdalenæ, & in Apologia contra Vizeliaci monachos, cuius codex manuscriptus extat in Bibliotheca sancti Victoris. Ex his auctoribus tres sunt Dominicani, Ptolomæus, Bernardus, Siluester, qui & sua, eaque proculdubio egregia ex Archiuis sancti Maximini descripsit. Ceteri recentiores, si Ricardum excipias, ex istorum commentarijs sapiunt.

Quod autem ad Vizeliacenses monachos spectat, pluribus illi vijs recla-

mant huic inuentioni. Prima est ex tempore inscriptionis qua anno 710. apud Philippum Cabellicensem Magdalenæ corpus translatum dicitur, Odoino Francorum Rege. At Odoinus seu Odo non anno quidem 700. vel 710. in Gallia regnabat, sed Childebertus 2. & post istum Dagobertus 2. Odoinus verò seu Odo ab anno 888. regnum administrauit vsque ad annum 898. quo Carolus Simplex regnare cœpit. Quod ergo monumenti genus præ ceteris rerum gestarum veritatem afferere, & ab omni fraude vindicare solet, illud hanc nouam inuentionem suspectam reddit omninò, & fraudulentam. Secunda, quod nostræ narrationis auctores dicant ab eo tempore Magdalenæ corpus, & sepulchrum fuisse incognitum, quo metu Sarracenorum translatum est. At viginti sex antè annis sancto Ludouico, cum ex Oriente rediret, hoc quodcumque est, Aquenses ostenderunt. *Postea*, inquit Ionuillæus c. 80. Chronici, *ex Olbiensium insulis Rex discessit Aquas Sextias, quod visum ire vellet Magdalenam, quæ inde vnius diei itinere ia-*

cebat. Tertia, cum ex vna parte Magdalena obierit Ephesi, & sepulta fuerit, vt vidimus, atque ex alia nemo reliquias illius apud Aquenses transtulerit, & sepeliuerit, quid aliud sequitur, nisi quod noua hæc inuentio ad nostram Magdalenam non spectet. Quarta, quod Monachi contra Prædicatores de posteritate præscribunt: priores possident, atque adeo illo ipse tempore possident, quo ab aduersarijs turbari possessio cœpta est, vbi & Vincentius, & Breuiarium Prædicatorum & Iacobus nulla, quę iure valeat, possunt exceptione repelli. Quare inuentum corpus illud exigere ad leges historiæ, quibus subdititium probetur, singula narrationis commata reuoluere, vnde confutentur, & optimo Principi, Præsulibus & alijs illusum videatur, hominis esset intemperanter abutentis & otio & literis. Quarta, quod monachi certum quoddam producere possunt Martini 4. diploma, quo ad annum 1281. Senonensem Ecclesiam visitantibus in festo Magdalenę Indulgentiæ conceduntur. Nos illud damus ex manuscripto codice

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei venerabilis fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Decano, & Capitulo Senonensi. Translationem Sanctorum corporum, quam in Catholica Ecclesia Christianus cultus exequitur, sub quodam typo mysterij præfigurasse videtur ille filius accrescens, & decorus aspectu, qui de hoc sæculo transiturus fratribus veridica prædicatione promittens, quod ipsos Dominus post eius obitum visitaret, & ad terram promissionis ascendere faceret ex Ægypto, adiurauit eosdem, vt de illo loco eius ossa secum portarent, huius typi mysterium in peccatrice sanctissima, beata videlicet Magdalena, quæ ad pedes Domini lacrymis illos rigans, & & capillis abstergens, profundis succussa singultibus, & ex intimis longa trahens suspiria, felleos humores euomuit, remissionem obtinuit, peccata deposuit, & induit sanctitatem. Olim dum primo in regno Franciæ legationis officio fungeremur, apud Vizeliacum monasterium, VBI GLORIOSVM REQVIESCIT CORPVS ILLIVS, *cum veneratione debita exequentes, illud claræ memoriæ Ludouico Rege Francorum, Prælatorum, & aliorum fidelium multitudine nu-*

merosa præsentibus, de plumbeo sepulchro, in quo adhuc humiliter existebat, in thecam argenteam cum celebri solemnitate transtulimus, vt proinde impleretur in ea sacræ paginæ veritas, dum ipsa in abundantia gloriæ sepulchrum inueniretur ingressa, sicut in tempore suo tritici aceruus infertur, vt de loco suo non solum pullularent laudibus ossa eius, sed ampliori pollerent gloria, de humilitatis tumulo ad cumulum maioris venerationis erecta. Decebat enim, vt sicut beatissimus eius spiritus æternam luminis claritatem ingressus supernæ gloriæ secreto colitur, sic & eius corpus, licet adhuc terrenum glorioso quasi conseruationis horreo seruaretur. Tunc zelus noster, quem ad ipsam semper in multitudine deuotionis habuimus, velut ignis accensus persuasit efficaciter, & effecit, vt de tam pretioso thesauro nobis memoriale aliquod in spiritalis ædificationis auxilium, & assiduæ consolationis remedium seruaremus, sicque de ipsius glorioso corpore costam vnam accepimus venerabiliter conseruandam, quam humilitatis nostræ deuotio nobis in minori officio exstentibus, decenti adeo decorari procurauit ornatu, quod in illo se opus & materia mutuis excedere censerentur excessibus: Ipsum oculus cuius-

que miratur antistitis, & in eius contemplatione dextera obstupescit. Cuius pulchritudini accessit vernantium, & coruscantium gemmarum adiectio, in diuersitate colorum virtutes eiusdem beatissimæ Magdalenæ diuersas typicè repræsentans: Ita tamen pretiosum memoriale prædictum idem ornatus includit, quod ab ipsius visione, quæ imaginis Angelicæ ministerio præsentium offertur aspectibus, oculorum aciem, cum sit Peruia, non excludit. Donum verò peregrinationis nostræ exitum attentione sedula contemplantes, deliberauimus tam pretiosi thesauri particulam apud participantes nobiscum in ipsius deuota veneratione deponere, vt etiam nobis deficientibus debita veneratio non deesset. Considerantes itaque, quod in Ecclesia & ciuitate Senonensi Clerus, & populus eamdem beatissimam Magdalenam singulariter venerantur, celebritatem ipsius solemniter celebrant, & celebriter eius solemnia Festa colunt, carissimum nobis memoriale præfatum, vobis per dilectum filium nostrum Ægidium germanum nostrum, in singularis deuotionis indicium destinamus. Accipite ergo illud alacritate debita, prosequimini reuerentia, quantum possibilitas patitur congrua, & honorificè in vestra Ecclesia collocate, ipsius beatissimæ Magdalenæ nos commendaturi patro-

tinio, quoties eius agetis solemnia, vel memoriam facietis. Vt autem ad eandem Senonensem Ecclesiam de cetero in eiusdem Magdalenæ festiuitate eò plenius confluant Christi fideles, quo se ob eius reuerentiam vberioris retributionis gratia remunerari perspexerint, Nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad eandem Ecclesiam in die festiuitatis eiusdem Magdalenæ causa deuotionis accesserint, singulis annis dies centum, eis verò qui infra octauas festiuitatis eiusdem taliter ad Ecclesiam accedent eandem, quadraginta dies, de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud vrbem veterem octauo Calend. Octobris Pontificatus anno primo.

Quod igitur in hac bulla de Magdalenæ translatione disserit Pontifex, verum esse non potest, nisi falsum sit, quod anno superiori de reperto in Prouincia eiusdem corpore tradunt auctores, quos sub initium capitis laudauimus. Sicut contra istis verum affirmantibus, illud corpus de quo loquitur, suppositititium esse debet. Igitur aut in prouincia, aut in Vizeliaci cœnobio

bio fraus facta est, de quo etiam & ab vtraque parte conuenitur: At in cœnobio factam esse vt quis affirmatè dicat, non patiuntur exceptiones, quibus nouam Inuentionem explosimus, non patiuntur Romani Pontifices Lucius, Vrbanus, Clemens, Innocentius, Martinus, non patitur sanctus Ludouicus Rex Galliæ, non patiuntur Guido Episcopus Autisiodorensis, & Petrus Paneadensis Episcopi, non patiuntur quotquot principes, & regni proceres Magdalenæ translationi inter fuerunt, non patiuntur Vincentius Bellouacensis, & Breuiarium Ordinis Prædicatorum, non patitur vetus & tranquilla possessio, neque patientur, quæ adhuc dicturi sumus. Non ignoramus corporis suppositionem æquè in vno loco atque in alio fieri absolutè potuisse, & ijs omnibus, quorum modo mentionem fecimus, imponi. Sed hoc ad Aquensium & Prædicatorum sancti Maximini tuitionem quid conducit, quorum noua Magdalenæ Inuentio sola recensione, tanquam necessario labefactata motu concidit apud æquos re-

rum æstimatores?

Ceterum Guillelmus Paradinus Annalium Burgundiæ lib. 2. asserit, quæ & Martinus de sancto Ludouico, & sanctus ipse Ludouicus de seipso superiori capite testatur : *anno*, inquit, 1268. *Hugo Burgundiæ Dux sanctum Regem Ludouicum comitatus est ad Vizeliacum, quo perrexit visum beatæ Magdalenæ corpus, quod tunc honorabiliter releuatum est.* Scilicet è veteri capsa, in nouam eamque pretiosissimam inductum.

Cap. VIII.

Nouitium nouæ Inuentionis reliquiarum Magdalenæ inuentum refertur, & refellitur. Translationis ad Vizeliacum origo inuestigatur.

QVo tempore excitata inter Vizeliaci monachos, & Aquenses contentio periisse videbatur, lacertos mouere cœpit, & quod facilè sperandum fuit, Prædicatores sancti Maximini de Bonifacij 8. de Benedicti 11. de Ioannis 22. rescriptis sibi prouiderunt, qui-

bus Magdalenæ corpus in monasterio sancti Maximini quiescere confirmatur. Hoc discimus ex Philippo Cabellicensi, qui hæc quidem rescripta non refert, sed in Monasterio Prædicatorum (id est in archiuis ab omni fraude alienis) asseruari testatur in Libello, quem ad annum 1355. Patriæ, vel Prędicatorum sancti Maximini, vel etiam præsumptæ veritatis amore, aduersus Vizeliacenses conscripsit.

Ceterum quicquid in Apologia disputat Philippus, tres in partes commodè distribuitur. In prima refert factam in villa, quæ nunc oppidum sancti Maximini vocatur, Magdalenæ translationem, quam & ex eodem auctore vt plurimum recensuimus, & vnà dispunximus. In secunda Vizeliacensium & Prædicatorum sancti Maximini dissidium lepidissimè componit: Vizeliacenses, inquit, monachi ex Prouincia corpus quidem non Magdalenæ, sed aliud transtulerunt, cum quod transtulerint in Aquensi iaceret vrbe, at Magdalenę corpus in loco, vbi nunc est monasterium sancti Maximini, qui-

efcebat. Qua in re monachos olim egregiè deceptos traducit Philippus. Ingeniofum quidem iftud inuentum eft, fed in re hiftorica infirmum. Et reuera, fi penitius infpiciatur, quid aliud eft, nifi, poftquam de Vizeliacenfibus victoriæ fpes excidit, honorabili quodam ftratagemate receptui canere? Hęc aduerfus Philippum perinde difputamus, quafi Magdalenæ corpus Aquis, vel in Aquenfi pago iacuiffet, quod ex Græcorum & Latinorum traditione Ephefi fepultum fuiffe docuimus. In tertia parte auctor rationum genera duo complectitur, quibus efficit Magdalenæ corpus remanfiffe femper eo in loco, vbi quondam metu Sarracenorum Prouinciam vaftantium pij homines occultauerant. Ratio vna comparatur ex bullatis trium memoratorum Pontificum apicibus, quos fi retuliffet, retuliffemus. Altera ex aliquibus ducitur fignis, quæ ad affertionem Magdalenæ facta contendit: Hinc mandibula Magdalenæ, quæ Romæ apud Bonifacium octauum erat, reliquo capiti, quod nuper habuerat Siciliæ Rex,

dum Inuentio facta est, coniuncta sic adcorporatur, vt perfectam in ijs partibus conformationem exhiberet. Inde cuidam Lugdunensi Recluso, *cum intentiuis imaginationibus vacaret*, apparens Magdalena reuelat velle se, vt sex Fratres Prædicatores, qui hora tertia per eum locum transituri erant, in vicino oratorio sibi dicato, monasterium conderent; atque in huius rei notam adiecit, (quod adiiciendum erat) Sanctam Prædicatorum Religionem sibi in suo peculiari Sancti Maximini habitaculo seruire. Hinc tandem Lausannæ in Prouincia Maxima Sequanorum Prædicatores, cum receptas à Vizeliaco Magdalenæ reliquias haberent, & ad expellendum ab obsesso Dæmonem adduxissent, Dæmon se illarum efficaciam non sentire profitetur. Hæc est totius Apologiæ summa, quæ quanti sit roboris ad asserendam nouam Inuentionem, ad vindicandam Prædicatoribus sancti Maximini Magdalenam, cordatorum hominum nemo non videt. Porro illustriora sunt miracula, quæ pro Vizeliacensi translatione referũt Mon-

britius, & frater Iacobus Genuensis, auctor hac in parte non suspectus. Verum illis, quia necesse non est, referendis supersedemus. Sed multorum instar vnus esse poterit Innocentius 3. hac Epistola ad Abbatem & Conuentum Vizeliacensem:

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati, & Conuentui Vizeliacensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, vt sibi à fidelibus suis dignè ac laudabiliter seruiatur, multo eis maiora retribuat, quam valeant promereri, desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, ipsos ad benè seruiendum ei, quasi quibusdam illectiuis muneribus, Indulgentijs scilicet, & Remissionibus inuitamus. Cupientes igitur, vt Monasterium vestrum, vbi venerandum CORPVS BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ INNVMERIS CORVSCANS MIRACVLIS *sub celebri custodia venerabiliter conseruatur, congruis debeat honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad Monasterium ipsum in solemnitate ipsius sanctissimæ Dominæ, ac octo diebus sequentibus causa deuotionis accesserint annuatim, de omnipotentis*

Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta eis pœnitentia annis singulis misericorditer relaxamus. Datum apud S. Stephanum nonis Nouembris Pontificatus nostri anno 2. Hæc ex Archiuis Vizeliaci. Huc non malè quis reuocabit, quæ suo tempore accidisse scribit Monachus Autisiodorensis in fine Chronici: *Eodem anno* (1211.) *Apud vrbem Lemouicas matrona quædam nobilis virum habens, graui infirmitate decumbens occubuit, & peractis obsequijs sudario inuoluta iuxta morem fidelium seruabatur, cum ecce subito de morte resurgens, stuporem ingerit vniuersis dicens, beatam sibi apparuisse Mariam Magdalenam, sibique tetigisse labia, seque ita spiritum resumpsisse. Quocirca vt gratias referret in festo eiusdem Sanctæ Vizeliacum veniens, cum plurimo comitatu sudarium, quo fuerat obuoluta, detulit ad altare, secum adductis testibus plurimis, tam suæ resurrectionis, quàm mortis.*

Philippo successit in eadem defensione Siluester Prieras, qui ad annum 1520. hanc materiam retractat: primùm quidem vulgatam Magdalenæ histo-

riam transcribit, deinde pluribus recenset, quomodo circa annum 1280. Magdalenæ inuentio facta sit in Aquensi Pago, quomodo Magdalenæ Carolo Siciliæ Regi apparuerit, & quid ei præceperit, vt iam notauimus : tum ad extremum de eodem Rege à Barcinonensibus capto, & precibus Magdalenæ liberato portentosa quædam mendacia comminiscitur, vel à suis excogitata refert, quæ pudet me referre. An autem aliquid aliud postea vltro citroque factum sit, nec vidi, nec audiui.

Superest modò, vt cum superioribus capitibus legitimam Magdalenæ possessionem Vizeliaco addiximus, possessionis originem inuestigemus. Hanc dabit in Chronico Cameracensi Baldricus Nouiomensis Episcopus, qui anno 1112. obiit. Ille igitur, vbi lib. 2. de Cameracensis parochiæ Monasteriis, eorumque fundationibus differit, sic cap. 43. factam Hierosolymis ad Vizeliacum Magdalenæ translationem affirmat : *Est Monasterium quoque Canonicorum in honore Apostolorum Petri & Pauli in vico, qui dicitur*

citur Lutosa, quod construxit beatus Amandus: & est diues abbatia, vbi vir Dei Venerabilis Baidilo requiescit, qui corpus sanctæ Mariæ Magdalenæ de Hierusalem in Burgundiam in loco Verceliaco attulisse dicitur. Baldrico succinunt hæ Lutosensis Ecclesiæ literæ, ex tabulario Vizeliaci depromptæ:

Vniuersis Christi fidelibus, quibus præsentes literas videre contigerit, Ingo Decanus, totumque Lutosensis Ecclesiæ Capitulum, & vniuersus eiusdem loci Conuentus perpetuam in Domino salutem.. Præsentium testimonio notum facimus vniuersis, quod os illud, quod per venerabilem Patrem Dominum nostrum Godefridum, Dei gratia Cameracensem Episcopum, Abbati & Conuentui Vizeliacensis Ecclesiæ, ad instantiam ipsius & preces transmisimus, extat sine dubio de reliquiis beati Badilonis, quondam Ecclesiæ nostræ Abbatis, qui etiam venerandum corpus beatæ Mariæ Magdalenæ in Ecclesia Vizeliacensi quondam dicitur attulisse. Nos ad maiorem rei certitudinem fecimus, os præfatum memorati Confessoris in loco quodam mundo sub sigillo nostro firmiter intercludi, & præsentes literas eiusdem sigilli impressione muniri. Actum in Ec-

clesia Lutosensi anno Dominicæ Incarnationis 1221. *Calend. Iunij.*

Ecce tibi edita Magdalenæ translationis origo, sed ex quo fabulosa Magdalenæ, & Marthę gesta per hominum mentes, libros, quarundam Ecclesiarum Breuiaria, & bibliothecas peruaserunt, tot commentis inspersa est, vt iis etiam Vizeliacenses indulserint aliquando. Etenim siue vt suam translationem absolutè probarent, siue vt eam aduersus Aquenses defenderent, non curarunt, vnde reliquias Magdalenæ haberent, modo habere se probarent. Quare in quibusdam translationis libellis, qui in manuscriptis Bibliothecarum circunferuntur, translatum ab Aquensi vrbe corpus Magdalenæ scripserunt, pluribus etiam antè annis, quàm Monasterium Vizeliaci conderetur.

Verum hîc duo in Baldrico considederanda sunt, nequis adhuc fabulandi ansam arripiat. Primum, quod beatæ Magdalenæ corpus Vizeliaci iam fuerit, quo tempore scribebat, licet de eo, qui ex Oriente illuc attulerit, non tam affirmatè pronuntiare videatur. Se-

cnndum ; quod in Baidilone Baldricus piæ in Orientem' profectionis scopum, hoc est, Hierosolyma spectarit ex vsu & more temporis, vnde cum rediret Baidilo, Constantinopoli, quò Leo Imp. Magdalenę reliquias Epheso transtulerat, easdem in Galliam reportauit.

Nunc igitur habemus & locum, vnde, & quò Magdalenæ corpus translatum est, & personam, quæ transtulit, sed certum translationis tempus nondum habemus, de quo animaduertimus duo: alterum quod Magdalenæ reliquias ad Vizeliacum non prius transportauit Baidilo, quam Monasterium fundaretur à Gerardo Burgundię Comite, qui Carolo Caluo Rege vixit, vt fidem facit charta Pręcepti, quo Carolus ad annum 8 6 8. concessum ab Apostolica sede monasterio priuilegium confirmauit. *Comperiat igitur*, inquit, *omnium fidelium, sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium, & futurorum solertia, quia carissimus, valdéque amantissimus nobis Gerardus illuster comes, ad nostram accedens celsitudinem innotuit, qualiter diuini ardoris face succensus, ob Dei & Domini no*

stri Iesu Christi, sanctæque Dei genitricis Mariæ semper Virginis amorem, & honorem vna cum consensu nobilissimæ coniugis suæ Berthæ, de rebus suæ proprietatis intra regnum nostrum Burgundiæ, in pago Aualensi, in parochia Augustodunensis ciuitatis in loco, qui dicitur Virziliacus, quoddam monasterium construxerit, & in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicari fecerit, &c. Datum 7. Idus Ianuarias indictione prima anno vicesimo octauo, regnante Carolo gloriosissimo Rege. Quod hoc etiam tempore vixerit Gerardus Comes, testatur Chronicum monachi Autisiodorensis: *Anno,* inquit, 865. *corpora Sanctorum martyrum Eusebij, & Pontiani Comes Girardus de Rossilione largitione Papæ Nicolai, ab vrbe Roma in Gallias transtulit, & beatum Eusebium Pulteriaci, Pontianum verò Verzelliaci, in monasterijs scilicet, quæ ipse fundauerat.* Hæc cum ita sint, non vna in re falluntur, qui forsan similitudine nominis (*Caroli*) decepti, Magdalenam Aquis Sextiis ad Vizeliacum translatam modo ad Caroli Martelli, vel Pipini, modo ad Caroli Magni ætatem reduxerunt. Alterum animad-

uertendum illud eſt, quod Vizeliaci Chronicum in annum 1316. deſinens factam anno 849 tranſlationem tradat, qui Caroli Calui Regis nonus eſt. At cum recentiores quidam tranſlationis libelli eandem anno 749. factam exhibeant, dum Ludouicus cum Carolo filio regnaret, in pluribus hallucinantur. Primum enim annus 749. vno plus minus ſæculo monaſterij fundationem, Ludouici imperium, Caroli Calui regnum antecedit. Et licet pro anno 749. reponeretur annus 849. hic nonniſi Carolo conueniret, cum jam inde ab anno 840. fatis conceſſerat Ludouicus. Certam verò habet Tranſlationis epocham Charta Caroli Regis, quæ cap. 6. ab Epiſcopo Autiſiodorenſi laudata eſt. Sed cum annus chartæ non referatur, nec eam videre licuerit, coniiciendum nunc eſt, ad quem Carolũ illa pertineat. Ad Carolum inprimis Caluum non pertinet, cum octo annis extinctus ſit ante Imperium Leonis Sexti, qui Magdalenę corpus Epheſo Conſtantinopolim tranſtulit. Ad Carolum Craſſum vix pertinet, quia vlti-

mus annus Crassi secundus est Leonis Imperatoris, qui corpus Magdalenæ fortassis nondum transtulerat, aut templum, cui illatum est, ędificauerat. Ad Carolum ergo Simplicem pertinere videtur, qui ab anno 898. ad annum 923. in Gallia regnauit. Deinde siquid eruere veri ex Aquensibus fabulis liceret, Odone Rege translatio facta est, quod tunc facilè Carolus Odonis in regno successor Magdalenæ translationis meminerit; qui & pręterea Vizeliacensibus nonnulla priuilegia, & immunitates concessit, vti Ludouicus Sextus in charta quadam Siluanecti data 6. nonas Aprilis anno 1128. testatum reliquit. Quare Vizeliaci Chronicum iuxta mendosum est, ac recentiores translationis libelli, atque adeo translatio illa contigit post mortem Gerardi Comitis, quem Ioannes Papa octauus epistola 210. & 211. iam mortuum significat.

Assertum igitur habemus ad Vizeliacum Magdalenæ translationis tempus, cui circa annum 1050. post Deiparam, Petrum & Paulum dedicari cœpit monasterium. Quin etiam progressu tempo-

ris eò res deuenit, vt beatæ Mariæ Magdalenæ Monasterium appellatum sit, vt colligitur ex lib. 1. Epistolarum Decretalium Innocentij 3. vbi Pontifex nunc de Iuribus *Monasterij beatæ Mariæ Magdalenæ Vizeliacensis* agit, nunc *ad Gerardum Abbatem Monasterij beatæ Mariæ Magdalenæ Vizeliacensis* scribit.

Quoniam verò fieri potuit, vt Baidilo ex sua in Orientem profectione rediens ad Prouinciam appulerit, & ibi per aliquod tempus remanserit, inde forsan otiosi homines vero falsum superstruxerunt, & tot commentitijs narrationibus mundum oppleuerunt.

De Maximino autem fingendi quæ finxerunt, nullam omnino nacti sumus occasionem. Vbi tamen nobilis illa Marthę pedissequa Irenæum Lugdunensem, qui ad annum 200. Eutropium Arausicum, qui ad annum 470. Austregisilum Bituricensem, qui ad annum 600. vixit, Iudæos fecit, & Magdalenæ naui imposuit, quid secundùm ista vetaret, quominus tam illustris opifex ex Maximo Aquensi, qui ad annum 540. floruit, Maximinum face-

ret, eumque recutitum, quem deinde eum aliis tumultuariò raptum, in illud genus laceri myoparonis contruserit?

Quod autem spectat ad Lazarum, omnibus de illo coniecturis viam intercludit Martyrologium Æduense, in quo hæc supra quam dici possit, absurda narrantur, primò Calendis Septembris: *Natalis sancti Lazari Martyris, quem Dominus suscitauit à mortuis*: deinde 16. Calend. Ianuarij: *Natalis beati Lazari Martyris, quem Iesus Christus, sicut in Euangelio legitur, suscitauit à mortuis. Postea verò à Domitiano interfectus est. Corpus verò eius à Tito & Vespasiano apud Vrbem Massiliensem deductum est, deinde post multa annorum curricula à Gerardo Antistite, permittente Deo, apud vrbem Æduam cum gratiarum actione iterum deductum est. Item beatæ Marthæ sororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Ecclesia non longè à Bethania, vbi vicina domus eorum fuit, conseruat.*

In hocce Martyrologio pauciora esse commata, quam errores quis non deprehendit? 1. Qui Lazarus in omnibus retro Martyrologiis, & Menologiis Martyr

Martyr non est, hîc Martyr appellatur. 2. bis mortem sustinet pro Christo, sed non in Galliâ, contra quàm in Martyrologio Galliæ scriptum alibi, & erratum quoque repræsentauimus. 3. ab eo Imperatore interfectus dicitur, quem per ætatem videre non potuit. Suscitatus est à Christo Lazarus an. 34. & in antiquis traditionibus, quas ex Epiphanio obseruauimus, postea vixit annos tantùm triginta, ac proinde anno Christi 64. excessit. Atqui Domitianus anno 83. Imperium iniuit. 4. Lazari reliquias Massiliam deduxerunt Titus & Vespasianus, qui ante Domitianum perierant. 5. Religiosum erga Lazari reliquias cultum tribuit Ethnicis Impp. 6. Quod Gerardus Augustodunensis Episcopus Lazari reliquias Massilia non transtulerit Augustodunum, ex Honorio Augustodunensi satis commodè deduximus. In summa qui nonnihil cum Martyrologiis Ecclesiarum habet commercij, nullo negotio animaduertet, hæc omnia, quæ discussimus, Martyrologio Æduensi ab imperito quodam inserta esse, & ad radicem horum ver-

borum, *quem Dominus suscitauit à mortuis*, stolonis in modum excreuisse. Quare nisi Lazari corpus, quod Cytio Constantinopolim transtulit Leo, habuerint aliquando Massilienses & Ædui, nullas Lazari, quem Christus excitauit à mortuis, reliquias vnquam habuerunt. Ipsi igitur viderint. Sed cùm hac de re nihil certi sit nobis, nihil quoque aliud pro certò volumus affirmare.

Nazarium Massiliæ Lectorem primo Arelatensi Consilio interfuisse legimus, sed vtrum Nazarius postea Massiliensis Episcopus, & ex Nazario tandem factus fuerit Lazarus, cuius inuenerint reliquias, & apud Æduos transtulerint, nondum legimus: Tempore beati Augustini fuisse Lazarum quendam in Prouincia Episcopum scribunt, sed vtrum ille fabularum in partem venerit, nescimus. Ex iis tamen, quæ de Maximino paulò antè disseruimus, satis apparet, vtrumque, vel alterutrum, immo & quiduis aliud absurdius non esse ei factu difficile, qui Magdalenæ nauem instruxit, & tot diuersarum ætatum Præsulibus impleuit.

Cap. IX.

Necessariæ quædam in posteriorem Dissertationis partem obseruationes.

QVÆ causa fuit, vt nonnullas in priorem Dissertationis partem obseruationes comparauerimus, eadem & nos impellit, vt in posteriorem comparemus. Nam etsi hæc posterior pars breuioris temporis interuallo definitur, multo tamen plura continet, quàm prior, quæ in veritatis tantùm assertione versatur, at ista & pristinam veritatem complectitur, & eam à fabulis, quas recens ætas enixa est, defendit. Obseruatio prima. Vetus de Magdalena, Martha & Lazaro, traditio in omnibus fermè Ecclesiarum Martyrologiis, & Menologijs hucusque conseruata est. Quæ vero à quingentis plus minus annis, de tribus illis Sanctis inducta sunt in quarumdam Ecclesiarum Officia, traditionis nomen non merentur: Immo veræ traditionis maiestate, & splendo-

re damnantur. Neque enim quæcumque opinionis alicuius progressio, æui auctoritate se tuetur, sed ea tantùm, quæ quod ab initio posteris traditum est, conseruat. Qua quidem in re oppidò falluntur, qui quodcunque in quibuscunque cuiuslibet Ecclesiæ libris offendunt, id citra vllum discrimen illiùs Ecclesiæ fidei, & traditioni continuò adscribunt. Sed meo iudicio nihil vlli Ecclesiæ incommodare debet hominis hallucinatio, qui nullum veræ Theologiæ, vel Historiæ gustum habet.

Secunda. Quæ de Lazaro, & Maximino, de Magdalena & Martha, quibusdam Martyrologijs, & quarundam Ecclesiarum Officijs illata sunt à primis traditionibus aliena, id totum factum est priuatorum hominum studio, non publicâ Catholicæ Ecclesiæ sententia: Quin etiam illa suis in Concilijs statuit, vt Ecclesiastica officia corrigentur, in quibus quid alienum à veritate reperiretur. Quare magnam laudem meretur Capitulum generale Fratrum Prędicatorum anni 1551. quod Breuia-

rium suum *multis historijs, seu gestis Sanctorum apocryphis, & minus nonnunquam verisimilibus plenum* expurgari voluerit. Sed maiorem sine dubio laudem meruisset, si in officio beatæ Marthæ, non ea tantùm, quæ stupidissimo cuique videbantur ridicula, expunxisset, verum & cetera, quę licet minus absurda sint, non minus tamen à vero, & antiquis traditionibus abhorrent. Quod cum animaduertissent, qui primi sub Pio quinto Romanum Breuiarium reformarunt, ista omnia sustulêre, nec retinendam Magdalenę & Marthę historiam duxerunt, quamuis illa sub Paulo 3. in compendium redacta, paucioribus fabulis scateret. At si eam ob rem Correctoribus illis gloria tribuenda sit, alii nullatenus commendari possunt, qui sublatam è Breuiario Romano Magdalenę & Marthę historiam, non multo post tempore restituerunt.

Mediolanenses in Breuiario suo, quod editum est Venetiis anno 1539. de actis Marthæ ab eius pedissequa scriptis nihil legunt, sed ex aliis B. Ambrosio affictis legunt, Martham habuisse positam

in viridario suo Christi imaginem, & ex herbis circumnascentibus infirmos persanasse, & alia id genus tribus lectionibus complectuntur. Sed hęc & illa acta siue ad fictos auctores referas, siue inter se committas, mutuis accisa prælijs, & vulneribus corruunt, & in vagum puluerem fatiscunt.

Tertia. Quamuis ex traditione veterum satis constet, Lazarum nulli vnquam Ecclesiæ prępositum fuisse, multo tamen verisimilius ad ipsum pertinet Cytii, quam Massiliæ Episcopatus. Quid enim? Illæ omnes Galliarum Ecclesiæ, in quibus memorata Lazari Prosa recepta est, pro Cytiensibus contra Massilienses attestantur, at Massiliensibus nulla Insulę Cypri, vel Orientalium Ecclesia contra Cytienses suffragatur. Deinde vt falsa sint, quæ Augustodunense Martyrologium de Lazaro canit, illa certè, si quid intelligis, non minus officiunt Massiliensium causę. Sed Cytiensibus nihil prosunt, nec etiam nocent, quia finguntur à Latinis. En tibi pro Gręcis, quod suo loco prętermisimus, aliquod metricum

Prosphonema ex Menæis, 17. Octobris.

Αἱροῦσα χειστοῦ τῷ φίλῳ πόλις πύλας
Λάζαρε δεῦρο χειστομιμήτως λέγει.

Constantinopolis relegens vestigia Christi
Talibus exclamat, Lazare adesto foras.

Quarta. Quod in nostris quibusdam Martyrologiis duplex dies tribuatur Marthæ, ex eo nullum quæritur præsidium Gallico Martyrologio, vbi duobus diuersis diebus Lazarus mortem tulit. Etenim in nostris Martyrologiis, cum nulla natalis Marthæ mentio fiat, de alio atque alio festiuitatis genere commoda erit explicatio. Sed quod mors Lazari primùm contigerit primo Septembris, deinde decimo septimo Decembris, tam perspicuè repræsentat Martyrologium Galliæ, vt tam facilè sit in neutro, quam in alterutro tantùm loco Lazari mortem interpretari.

Quinta. Qui in subdititiorum Marthę & Magdalenæ gestorum defensionem oppignerant Ecclesiam, nihil aliud moliuntur, quàm Ecclesiæ lucem inobscurare, & maiestatem iis, qui scorsim à nobis per Religionem sentiunt, riden-

dam exponere. Sed siue consilio, siuè casu id moliantur, peræque officiunt Ecclesiæ Dei, quæ ad ingenerandam hominibus veram pietatem non curat; quid immurmures, aut mugineris. Hæc quamlibet excusanda temeritas, notari tamen semper debet, ne forsan Catholicis aliquando obiiciatur ab iis, qui sunt foris. Popularis fidei ruinam, & piæ credulitatis periculum haud timuit Baronius, dum Iacobum Hispaniarum Apostolum esse negauit. Duæ tamen sunt illę machinæ, quibus non minus ineptè, quàm indesinenter à fabularum patronis arietamur, quibus in Breuiaria retruduntur, quæcumque ex iis apocrypha sustulit Ecclesiarum pietas, quibus tum demum nos religionem, non quà illa ducit, sed quà ducere vult populus, sequi oportet. In summa beati Martini exemplum lex esse debet omnibus, qui viuendo sinceram pietatem colunt, & qui scribendo leges historiæ non negligunt.

Sexta. Cum vetus traditio, cuius fidem faciunt ea omnia Martyrologia, quę in vtraque Dissertationis parte laudauimus,

dauimus natalem Marthę designant Hierosolymis, nihil planè est, cur nescio quorum hominum figmentis in alium locum traducamus. At si recens traditio præferatur antiquæ, de legibus, & instrumentis veræ traditionis, & historiæ conclamatum erit.

Septima. Diuersa de nauigationibus, & exilio Magdalenæ figmenta recensuimus, & sola propemodum recensione displosimus, nequid vetus traditio iacturæ pateretur; qua Magdalenam Ephesi quieuisse, & eius inde reliquias Constantinopolim translatas esse constat, nullo quoad locum mortis per annos plusquam mille reclamante. Quod elapsi à prima rei origine temporis spatium, nisi sufficiat ad veræ assertionem traditionis, nescio, an vllum aliud sufficeret vnquam. Quare qui huic traditioni refragabitur, videat, ne per communes locos sapiens reijciendis ceteris traditionibus viam aperiat, & ipse in sua venabula incurrat. Quod summum esset imprudentiæ genus, nec ferendum.

Octaua. Magdalenæ translationem reiectis fabulis Vizeliaco vindicaui-

mus, & ad repetendas aduersus ὀψιμαθίαν Aquensium, & Prædicatorum sancti Maximini vindicias, quatuor Romanos Pontifices, Lucium, Vrbanum, Clementem, Innocentium, deinde beatum Ludouicum Regem, Regnique proceres, tum duos Episcopos Autisiodorensem & Pancadensem, denique Martinum 4. produximus, testes omni exceptione maiores. Personam quæ transtulit, & translationem intra certum tempus sic asseruimus, vt in rebus tam illustribus siquis non abnuit, sed ambigit, sponte ne videat, oculos claudit. At verò, vt ait Tertullianus, *suo vitio quis quid ignorat. Quod autem ignoratur, fuit tam requirendum, quam recipiendum, quod agnoscitur.*

Nona. In hac translationis causa Vincentium Bellouacensem, Breuiarium vetus Ordinis Prædicatorum, & Iacobum Genuensem adduximus, non quia nobis in omnibus, sed quia Prædicatoribus sancti Maximini non possunt non esse idonei testes. Ptolomæus Lucensis, Bernardus Guidonis, & Siluester Prieras pluribus ab hac lite rationi-

bus repelluntur. Verum tres isti cum tribus aliis commutentur, aut committantur, qui omnes mutuo licet intercidant conflictu, salua tamen nostræ translationis veritas consistet.

Decima. Ex tota Dissertatione nemo non videt opinor, qui aliquid videre potest, scriptorem illum nuperum, qui sub ementito CHRISTIANISSIMI DOCTORIS cognomine versari in luce Parisiorum non erubuit, debere in seipsum tribus de causis vehementer irasci. Vna est, quod tam enormiter illuserit Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, & toti rerum vniuersitati, quibus conclamatæ historiæ credulitatem, omni deposita fronte affinxit; Lazarum quippe, & sanctas eius sorores cum sancto MAXIMINO, & sancta MARCELLA in Prouinciam appulisse anno Christi 44. Altera quod non grauibus quidem viris, quia nec dignum iudicant, sed aniculis mulieribus tam effusè deridendum se propinarit, vbi, post laudatos quinque nominatim scriptores, quorum aliqui hodieque viuunt, alij nuper interierunt, hoc est, vnum aut alte-

rum vniuscuiusque nationis hominem, cum B. Augustino exclamat, eum non esse sapientem, qui negat, quod vniuersa credidit antiquitas. Tertia, quod de tot vniuersæ Galliarum historiæ libris, quos suos & ipse, & in loco non suo venditat, opinionem eruditi homines non bonam concepturi sint, & iactatum opus ex hoc tam infelici specimine Volusij annalibus adnumeraturi.

Vltima. In hac altera Dissertationis parte non dissimulauimus, permultos doctrina & sanctitate conspicuos auctores, minus perspectam habuisse Lazari, Magdalenæ & Marthæ historiam, immo fabulosis quibusdam illorum gestis nimium fidei dedisse ostendimus. Sed ista nihil poterunt vnquam aduersus summa & inuictissima iura veritatis, quæ vt ait Baronius anno 109. num. 51. *nulla plurimorum sæculorum valent præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui & labefactari.* Et sanè nisi quidam scriptorum in historiis habeatur delectus, & seruentur leges, quas in præfatiuncula statuimus, nihil erit tam certum, tamque indubitatum,

quod in controuersiam non mittatur. Nempe nulla vt fœditas sine amatore, sic nulla est sine patrono fatuitas. Ex illis tamen, qui de rebus Magdalenæ, Lazari & aliorum tractarunt, plures per ætatem aliquatenus excusandi sunt, tum quia qui res à suo sæculo tam remotas scribunt, facilius labuntur, tum quia præ multitudine figmentorum, quibus opprimebantur, vix licuit omnibus ea quæ scriberent, ad certam amussim expendere. Aliud verò diu expendere quæ scribas, aliud simpliciter scribere, quæ alius scribendo fortè non expendit. Hæc autem toto cælo distare qui nesciunt, in summa rerum omnium ignoratione versari necesse est. Neque cum illis rem vllam habere volo, qui vt ait beatus Augustinus lib. 12. Confess. cap. 25. *sententiam amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. Alioquin & aliam veram pariter amarent, sicut & ego amo, quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed quia verum est. At ideo iam nec ipsorum est, quia verum est. Si autem ideo*

amant illud, quia verum est, iam & ipsorum est, & meum est, quoniam in commune omnium est veritatis amatorum.

FINIS.



Excerptum ex tabul[a] martyrologi[i]
Abbatiæ Monialium Sancti Laurentii
Bituricensis ordinis Sancti Benedicti
A. 11. Calend. Augusti: Apud E[...]
Sanctæ Mariæ Magdalenæ.